

in vobis suspiciat? Cum enim aliqui motus in A Normannia nunciantur, vos præmittit, ut virtute vestra profligentur, suspecta sagacitate redintegratur concordia: cum redit in regnum, vos reducit, ut sitis ei foris tutelæ, domi lætitiæ, ornamento ubique.

§ 447. Literas ita fovetis, ut cum sitis tantarum occupationum mole districti, horas tamen aliquas vobis surripiatis, quibus aut ipsi legere, aut legentes possitis audire. Digno itaque moderamine fortunæ vestræ celsitudinem componitis, dum nec militiam propter literas postponitis, nec literas propter militiam, ut quidam, conspuitis: in quo etiam scientiæ vestræ patescit miraculum, quia, dum libros diligitis, datis indicium (90) quam avidis medullis fontem eorum combiberitis; multæ (91) siquidem res, etiam cum non habentur, desiderantur, philosophiam nullus amabit qui eam extrema satietate non hauserit.

§ 448. Justitiæ vestræ fama regiones etiam nostras attingit; a vobis siquidem pravum iudicium nunquam extorsit vel personæ sublimitas vel fortunæ tenuitas. Nihil reperit in vestro pectore quod suis conducatur artibus qui justitiam labefactare conatur, seu oblatione muneris, seu delinimento favoris.

§ 449. (92) Munificentiæ vestræ pecuniæque contemptum præterdit Teochesbiricæ cœnobium; de quo (ut audio) non solum xenia non corroditis, **683** sed etiam ultro missa remittitis (93). Quantum hoc sit isto præsertim tempore, quantæ in sæculo

(90) *Indicium*. a. c. d. e. 12., *judicium* s.

(91) *Multæ*. a. c. d. e. 12., *multis* s.

(92) *Munificentia... iudicio*. a. s. c. d. e. 2. 12.

— Totus hic paragrahus omittitur in e 1.

gloriæ, quantæ apud Deum gratiæ, ipsi certe intelligitis. Beata est igitur, secundum sententiam Platonis, respublica cujus rector est philosophus, cujus princeps non delectatur muneribus. Plura de talibus dicerem, nisi et suspicio meæ adulationis, et laudanda modestia vestri pudoris dicturientem cohiberet. Sane quæ dixi non prætermittere sicut consilium, ut per officium linguæ meæ probitas vestros posteros non lateat, et ipsa de virtute in virtutem proficere contendat. Et quidem jamdudum, quibusdam persuadentibus, ferebat animus ut, quæ prætereunda non putarem, per succiduos semper annos huic operi apponerem; sed consultius videtur aliam de talibus librum procudere, quam jam absolute frequenter nova insuere. Nec vero quisquam superfluum me operam dicat insumere, si clarissimi omnium suæ ætate regum gesta propono: multa enim sublimitati ejus mea humilitas debet, et adhuc plura debet, ut, si nihil aliud esset, quod se talem filium habere gaudet; nam et olim felici sorte susceptum, non perfunctorie, ut hodie claret, literis erudiri præcepit, post etiam amplissimarum possessionum fecit dominum, nunc postremo patrium (94) in vos reclinat affectum. Sit ergo hic liber, ut est, vestræ gloriæ absolute consecratus; in altero erit idem vitæ, qui scripturæ, terminus. Quod superest, munus meum dignanter suscipite, ut gaudeam grato cognitoris arbitrio, qui non eravi eligendi iudicio (95-100).

(93) *Remittitis*. a. s. 12., *mittitis*, d. e 2.

(94) *Patrium*. a. d. e 2. 12., *paternum*, s. c.

(95-100) *Judicio*. a. s. c. d., e 1. addit: *Hæc habui, domine venerabilis comes, de gestis.*

WILLELMI MALMESBURIENSIS MONACHII HISTORIÆ NOVELLÆ LIBRI TRES.

PROLOGUS IN LIBROS HISTORIÆ NOVELLÆ

AD ROBERTUM COMITEM GLOECSTRÆ.

684 - 687 Domino amantissimo Roberto, filio D regis Henrici, et consuli Glocestrensi, Willelmus bibliothecarius Malmesburicæ, post emerita trophæa in terris, triumphare in cœlis.

(1) *Actuum*. e. 12., *omissum* in s. c. d.

(2) *In tribus libellis quibus Chronica dedi vocabulum*. Hi nunc desiderantur.

Pleraque gestorum præcellentis memoriæ patris vestri stylo apponere non neglexi, et in quinto libro regalium actuum (1), et (2) in tribus libellis quibus Chronica dedi vocabulum. Nunc ea quæ

moderno tempore magno miraculo Dei acciderunt in Anglia, ut mandentur posteris, desiderat animus vestræ serenitatis : pulcherrimum plane (3) desiderium, et vestrorum omnium simile. Quid enim plus ad honestatis spectat commodum, quid conducibilis (4) æquitati, quam divinam agnoscere circa bonos indulgentiam, et erga perversos vindictam? Quid porro jocundius quam fortium facta virorum monumentis tradere litterarum; quorum

A exemplo cæteri exuant ignaviam, et ad defendendam armentur **688** patriam? Quod quia officio styli mei præceptum est fieri, ordinatius puto posse historiam transigi, si, paulo altius repetens, a redivitu imperatricis in Angliam post viri sui (5) decessum seriem annorum contexam. Itaque primo vocata, ut decet, in auxilium Divinitate, rerum veritatem scripturus, nihilque offensæ daturus aut gratiæ, ita incipiam.

689 LIBER PRIMUS.

QUIBUS DE CAUSIS IMPERATRICEM REX HENRICUS AB ALEMANNIA REVOCAVIT.

§ 1. Anno Henrici regis Anglorum vicesimo sexto, qui fuit incarnationis Dominicæ millesimus centesimus vicesimus sextus, Henricus imperator Alemannorum, cui præfati regis filia Matildis nupserat, in ipso ætatis et victoriarum flore obiit (6). Morabatur eq tempore rex noster Normanniæ, ob (7) pacificandos, si qui in eis partibus fierent, motus; qui, ubi primum obitum generi accepit, non multo post honoratis viris a se missis filiam revocavit. Invita, ut aiunt, imperatrix rediit, quod dotalibus regionibus consueta esset, et multas ibidem possessiones haberet. Constat certe aliquos Lotharingorum et Longobardorum principes succedentibus annis plus quam semel Angliam venisse, ut eam sibi dominam requirerent; verumtamen (8) fructu laborum caruisse, cogitante rege ut filia connubio **690** inter se et Andegavensem comitem pacem componeret. Mirum enim in modum vir ille, omnium regum quos nostra et etiam patrum nostrorum tenet memoria maximus, suspectam tamen semper habuit Andegavensium potentiam. Hinc est quod sponsalitia (9) quæ Willelmus nepos suus, comes postea Flandriæ, cum filia comitis Andegavensis Fulconis, postea regis Ierosolymorum, contracturus esse videbatur (10), dissolvit et cassavit. Hinc est quod aliam ejusdem filiam filio suo Willelmo impubi vix dum adolescenti conjunxit (11). Hinc est quod hanc filiam suam (de qua incepimus loqui), post imperatorum thorum, ejusdem Fulconis filio nup-

B tum collocavit, sicut sermo procedens dicere perget.

DE CONCILIO HABITO LONDON.

§ 2. Anno vicesimo septimo regni sui (12) rex Henricus Angliam venit mense Septembri (A. D. 1126), adducens secum filiam suam. Proximo vero Natali Domini convocato apud Londoniam magno cleri et optimatum numero, uxori suæ, filia ducis Lovannensis, quam post obitum Matildis duxerat, comitatum Salopesbiriæ dedit: quam videlicet fœminam dolens non concipere, dum et perpetuo sterilem fore timeret, de successore regni merito anxius cogitabat. De qua re antea multum diuque considerato (13) consilio, tunc in eodem concilio omnes totius Angliæ optimates, episcopos etiam et abbates, sacramento adegit et obstrinxit, ut, si ipse sine hærede masculo decederet, Matildem filiam suam quondam imperatricem incunctanter **691** et sine ulla retractione dominam susciperent: præfatus quanto incommodo (14) patriæ fortuna Willelmum filium suum (15) sibi surripuisset, cui jure regnum competeret: nunc superesse filiam, cui soli legitima debeatur successio, ab avo, avunculo, et patre regibus; a materno (16) genere multis retro seculis. Siquidem ab Egberto rege (17) West-Saxonum, qui primus cæteros insulæ reges vel expulit vel subegit, anno Dominicæ incarnationis octingentesimo (18), sub quatuordecim regibus, usque ad ejusdem incarnationis annum millesimum quadragesimum tertium (19), quo rex Edwardus (20) in regnum sullimatus est. Nec unquam (21) ejus-

(5) Plane. s. e. 12, plene, c. d.

(4) Conducibilis. e., magis conducit, s. c. d. 12.

(5) Sui. e., omisum in s. c. d. 12.

(6) Obiit. 12. legit obierat vel obiit. — Imperator Henricus V obiit die Maii vicesima tertia, A. D. 1125; et in Septembri anni 1120, rex Henricus rediit a Normannia cum filia sua imperatrice.

(7) Ob. e., ad, s. c. d. 12.

(8) Verumtamen. e., sed, s. c. d. 12.

(9) Sponsalitia. . cassavit. Vide § 419.

(10) Videbatur. e., dicebatur, s. c. d. 12.

(11) Conjunxit. Vide § 419.

(12) Regni sui. s. c. d. e 2. 12., omisum in e. 1.

(13) Considerato. e. 12., deliberato, s. c., desiderato, d.

(14) Incommodo. e., damno, s. c. d. 12.

(15) Suum. s. c. d. e 2, omisum in e. 1. 12.

(16) A materno. e. 1 2, et a materno, s. c. d.

(17) Rege. s. e. 1 2, omisum in c. d.

(18) Anno Dominicæ incarnationis octingentesimo. Unio regnorum Egberto regnante, pluribus tantum annis effecta est, postquam ad principatum accessisset in 802. Vide sectiones 106, 107.

(19) Tertium. Vide § 496, not. 7.

(20) Edwardus. e., Edwardus, qui apud Westminsterium jacet, s. c. d. 12.

(21) Nec unquam... claudicavit. Regna Cnuti filiorumque ejus Malmesb. hic transgressus est.

dem regalis sanguinis linea defecit, nec in successione regni claudicavit. Porro Edwardus illius progeniei ultimus, idemque et præclarissimus, proneptem suam margaritam ex fratre Edmundo Ireneside, Malcolmi regis Scottorum nuptiis copulavit (22); quorum filiam fuisse Matildem, hujus imperatricis matrem, constat (23).

DE SACRAMENTO QUOD PRIMATES ANGLIÆ FECERUNT IMPERATRICI.

§ 3. Juraverunt ergo cuncti, quicumque in 692 eodem concilio alicujus viderentur (24) esse momenti; primo Willelmus Cantuariæ archiepiscopus, mox cæteri episcopi, nec minus abbates. Laicorum primus juravit David rex Scotiæ, ejusdem imperatricis avunculus; tunc Stephanus comes Moritonii et Bononiæ, nepos Henrici regis ex sorore Adala: mox Robertus regis filius, quem ante regnum suscepserat, et comitem Gloecestriæ (25) fecerat; data ei in matrimonium Mabilia, spectabili et excellenti femina, domina tum viro morigera, tum etiam fecunditate numerosæ et pulcherrimæ prolis beata (26). Notabile, ut dicitur (27), fuit certamen inter Robertum et Stephanum, dum æmula laude virtutum inter se contenderent quis eorum prior juraret; illo privilegium filii, isto dignitatem nepotis spectante. Ita obstrictis proceribus (28) omnibus fide et sacramento, tunc quidem a quoque in sua discessum est. Post Pentecosten vero (A. D. 1127) misit rex (29) filiam (30) in Normanniam, jubens eam per Rothomagensem archiepiscopum desponsari filio prædicti Fulcraonis, adolescenti magnæ nobilitatis et prædicandi roboris: nec distulit quin ipse quoque Normanniam navigaret, eosque matrimonio conjungeret (31). Quo facto, quodam vaticinio omnes prædicabant ut post mortem ejus a sacramento desciscerent. Ego Rogerium Salesbiriensem episcopum sæpe dicentem: audivi, « Solutum

(22) *Edwardus... nuptiis copulavit.* Post Edouardi Confessoris mortem Margarita nupsit. Frater ejus Edgard Aetheling, tunc in Scotia exsul, ejus concubio cum rege Malcolm consensit. (*Sax. Chron. An. 1067.*)

(23) *Filiam... constat. e., filia Mathildis hujus imperatricis mater exstitit, s. c. d. 12.*

(24) *Viderentur. c. d. e. 12., videbantur s.*

(25) *Comitem Gloecestriæ.* Robertus creatus est comes Gloecestriæ, A. D. 1119. In Pipeio Codice 51 Hen. I, hoc legitur: «*Gloecestrescire.* Et comiti Gloec. xx. li. numero pro parte sua comitatus.»

(26) *Data... beata. e., omissum in s. c. d. g. k. 12.*

(27) *Ut dicitur. e., ut fertur, s. c. d. 12.*

(28) *Proceribus. e., omissum in s. c. d. 12.*

(29) *Rex. s. c. d. e. 2. 12., omissum in e. 1.*

(30) *Filiam. e., filiam suam, s. c. d. 12.*

(31) *Eosque matrimonio conjungeret.* Nuptiæ Matildæ cum Goffrido Plantagenet, postea comite Andegavensi, coram ejus patre celebratæ sunt, in Septembre 1127.

(32) *Sacramento. e., a sacramento, s. c. d. 12.*

(33) *Regis. e., omissum in s. c. d. 12.*

(34) *Anno vicesimo octavo.* Henrici regni annus vigesimus octavus completus est die Augusti quarta 1128; Saxonia vero Chronica ejus reditum a Normannia autumnus anni 1129 assignat.

A 693 se sacramento (32) quod imperatrici fecerat: eo enim pacto se jurasse, ne rex præter consilium suum et cæterorum procerum filiam cuiquam nuptum daret extra regnum. Ejus matrimonii nullum auctorem, nullum fuisse consciunt, nisi Robertum comitem Gloecestriæ, et Brianum filium comitis, et episcopum Luxoviensem. » Nec vero hæc idcirco dixerim quod credam vera fuisse verba hominis, qui se unicuique tempori pro volubilitate fortunæ accommodare nosset; sed sicut verax historicus opiunionem provincialium scriptis appono.

DE OBITU HONORII PAPÆ, ET DE CONTENTIONE ELICERIM APOSTOLICI.

§ 4. Reliquos annos vitæ et regni Henrici regis (33) breviter percensere libet; ut nec rerum cogitione fraudentur posteri, nec his quæ minus ad hanc historiam pertinent prolixius immorari videar. Anno vicesimo octavo (34) (A. D. 1129) rediit in Angliam rex a Normannia. Anno vicesimo nono quiddam accidit in Anglia quod mirum videatur crinitis nostris, qui, obliti quid nati sunt, libenter se in 694 muliebris sexus habitum transformant (35). Quidam provincialium militum, magno crinium luxu superbiens conscientiaque stimulante perterritus, visus est sibi videre in somniis quasi aliquis eum capillorum suorum crinibus suffocaret; quare, somno excussus, quicquid superfluebat comarum cito abscidit. Cucurrit exemplum per Angliam, et (sicut recens poena mentem movere solet) omnes pene milites ad justum modum crines suos recidi æquanimiter tulerunt. Sed non diu stetit hæc sanctitas; vix enim anno elapso, cuncti, qui sibi curiales esse videbantur, in prius vitium reciderunt: longitudine capillorum cum sceminis certabant, et, ubi crines deficiunt, involucria quædam innodabant; obliti vel potius ignari sententiæ apo-

(35) *Libenter se in muliebris sexus habitum transformant. e., in muliebris sexus habitum capillorum longitudine se ipsos transformant, s. c. d. 12. — Ordericus Vitalis (Bovq. XII, 696) testatur quantum totam per Angliam Galliamque crines suos curarent in hoc sæculo. Mos iste, qui non apud laicos tantum invaluit, in Anglia variis temporibus in honore habitus; conciliorumque mandata et regia edicta ad illum refrenandum emissa sunt. In concilio Lundi, anno 1102 habito, cui præerat Anselmus, jussum est: « Ut criniti sic tondeantur ut pars aurium appareat, et oculi non tegantur. » Ampliora de hoc vide in Eadmer, p. 81. Anno Henrici II regni vigesimo primo, a rege mandatum est: « Rex Willelmo de Percut salutem. Sciat is quod concessimus et plenam potestatem vobis dedimus scindendi capillos clericorum nostrorum, qui sunt de hospitio nostro et familia nostra, longos crines habentium, et comas nutrientium, et ad crocos capillorum suorum deponendos. Et ideo vobis mandamus, quatenus ad hoc modo debito diligenter intendatis; hujusmodi potestatem nostram vobis concessam taliter exequentes, circa prædictos capillos scindendos et crocos deponendos, ne ad capillos vestros scindendos forcipes apponere debeamus. Teste me ipso apud Clyve secundo die Septembris. » (Rot. Pat. 21 Hen. III. m. 3.)*

stolice, « Vir si comam nutrierit, ignominia est illi (36). » Anno tricesimo (A. D. 1130) rex Henricus transiit in Normanniam. Eo anno defuncto papa Honorio (14 Feb.), magna contentione eligendi apostolici Romana fluctavit Ecclesia. Erant tunc in eadem urbe duo famosissimi cardinales, Gregorius diaconus sancti Angeli, et Petrus presbyter cardinalis, filius Leonis Romanorum principis : ambo literis et industria insignes ; nec erat facile **695** discernere populo quisnam eorum justius eligeretur a clero. Prævenit tamen pars quæ favebat Gregorio ut pontifex ordinatus vocaretur Innocentius : sparsus est etiam rumor in plebem quod adhuc Honorius spiraret, et ita fieri præciperet. Auctores fuerunt hujus ordinationis Willelmus Prænestinensis episcopus. Mathæus Albanensis, Conradus Sabinensis, Johannes Hostiensis, Petrus Cremensis de titulo sancti Chrysogoni, Haimericus cancellarius. At vero pars altera, sepulto jam Honorio, annitentibus fratribus Petri, locupletissimis Romanorum et potentissimis, eum electum et sacramentum vocavit Anacletum. Maximus hujus ordinationis hortator et auctor Petrus Portuensis episcopus fuit : cujus epistolam si posuero, ea omnem controversiam aperiet, pronior tamen in Anacletum.

EPISTOLA PETRI PORTUENSIS DE EADEM CONTENTIONE.

§ 5. « Petrus Portuensis episcopus, quatuor episcopis Willelmo Prænestino, Mathæo Albanensi, Conrado Sabinensi, Johanni Ostiensi.

« Quanta sit pro vobis tribulatio cordis mei, ille solus novit qui omnia novit : vobis quoque meis literis cognitum saltem jam ex parte fuisset, nisi ecclesiæ sententia et communis auctoritas prohiberet. De commendatione seu vituperatione personarum de quibus nunc sermonum varietas agitur, non est hujus temporis judicare : est qui quærat et judicet. Si tamen quisquam præsto fuerit accusare, præsto erit et qui debeat respondere ; præsertim cum in vestro et meo, immo in totius ecclesiæ conspectu, uterque sapienter vixerit et honeste, et quæ officii sui erant plena hucusque exercuerit libertate. Abstinere vos potius convenit a sermonibus otiosis et verbis præcipitationis : **696** si de rumoribus agitur, longe se aliter habent res quam vestræ apud me litteræ protestantur. Ad hæc, si verba quæ posuistis, si ordinis rationem attenditis, (ut, salva reverentia vestra, loquamur,) factionem illam vestram qua confidentia, qua fronte, electionem vocare præsumitis ? Cur illum vestrum dicitis ordinatum, cum prorsus in causa ejus ordo non fuerit ? Siccine didicistis papam eligere ? in angulo, in abscondito, in tenebrosis et umbra mortis ? Si mortuo papæ vivum succedere volebatis (37), cur mortuum vivere prædicabatis ? multo melius erat mortuo humanitatem impendere, et

(36) Vir si comam nutrierit, ignominia est illi. I Cor. xi, 14.

(37) Volebatis. s. c. e., voluistis vel volebatis, s. 2.

(38) Dum. s. c. d. c. 2. l. 2, omissum in e. 1.

sic de vivi solatio cogitare. Sed ecce, dum (38) de mortuo solatium vivo requiritis, et vivum et mortuum pariter suffocastis. Postremo, nec vestrum, sicut nec meum, fuit eligere, sed potius electum a fratribus spernere vel approbare. Quod igitur, neglecto ordine, contempto canone, spreto etiam ipso a vobis condito anathemate, me inconsulto priore vestro, inconsultis etiam fratribus majoribus et prioribus, nec etiam vocatis aut expectatis, cum essetis novitii et in numero brevi paucissimi, facere præsumpsistis, pro infecto habendum esse, et nihil omnino existere, ex ipsa vestra æstimatione potestis advertere. Cito autem nobis Dominus affuit, et viam qua errori vestro contraire possemus ostendit ; fratres siquidem vestri cardinales (quorum præcipua est in electione potestas) cum clero, universo expetente populo, cum honoratorum consensu, in luce, in manifesto, unanimi voto et desiderio, elegerunt dominum Petrum cardinalem in Romanum pontificem Anacletum. Hanc ego electionem canonice celebratam **697** conspexi, et auctore Deo confirmavi. Hunc ecclesia suscipit et veneratur : hunc per Dei gratiam episcopi, abbates, principes, capitanei, et barones, quidam per se ipsos, quidam per nuncios suos, videntibus nobis frequentant. Deprædationem illam et crudelitatem, quam prætentitis, non videmus, quicumque ad eum pro responsis seu negotiis suis veniunt benigne suscipiuntur, benignius revertuntur. Redite, jam redite ad cor : nolite schisma in Ecclesia facere ; ad animarum subversionem nolite ulterius laborare : teneat vos timor Dei (39), non pudor seculi. Nunquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat ? desistite jam mendacis, in quibus impii spem suam ponere consueverunt. Dominus Tiburtius in scriptis suis cum juramento (40) testificatus est, dicens quod ego diaconum sancti Angeli solum idoneum judicavi ad pontificatus ordinem. Videat ipse quid dixerit : ego in occulto locutus sum nihil ; non est aliquis qui hoc verbum ab ore meo unquam audiverit. Hæc fuit sententia mea semper, ut non nisi sepulto papa de successoris persona mentio haberetur. Unitatem ecclesiæ tenui et tenebo : veritati et justitiæ adhærere curabo, confidenter sperans quia justitia et veritas liberabit me. »

Sic prædictus Petrus Portuensis (41), Petro Leoni pronior, scripsit. Nec vero pars altera cessabat quin et ipsum Petrum catulum leonis diceret, et fautores ejus factionis complices nominaret. Et illi quidem varia inter se dubiis de rebus agebant. Innocentius vero exclusus Roma, transcensit Alpibus, Galliam (42) contendit. Ibi ab **698** omni citramontana ecclesia incunctanter susceptus est : quin etiam et rex Henricus,

(39) Dei. e. l. 2, Domini, s. c. d.

(40) Juramento. e., sacramento, s. c. d. l. 2.

(41) Portuensis, Petro Leoni. e., Portuensis episcopus, in Petrum Leonis filium, s. c. d. l. 2.

(42) Galliam. s. c. d. l. 2, Galbam, e.

qui non leviter a sententia quam semel proposuisset dejici nosset, illi apud Carnotum ultro manus dedit; et apud Rothomagum non modo suis, sed et optimatum et etiam Judæorum, muneribus eum dignatus est (43). Nec vero Innocentius, quamvis ab Anglorum et Francorum regibus, simul et ab imperatore Alemannorum, valde juvaretur, nunquam tamen quiete potiri potuit, quod Anacleus Romanæ sedem teneret Ecclesiæ. At vero ipso (44) Anacleto defuncto octavo præsumpti (ut dicebatur) sui episcopatus anno (25 Jan. A. D. 1138), dominus Innocentius inconcussa ad hoc tempus pace apostolica fruitur dignitate (45).

§ 6. Anno tricesimo primo (A. D. 1131) regni sui rediit rex (46) in Angliam. Imperatrix quoque eodem anno natali solo (47) adventum suum exhibuit; habituque non parvo procerum conventu apud Northamptonam, priscam fidem apud eos qui dederant novavit, ab his qui non dederant accepit. Eodem anno (48) Lodowicus rex Francorum, et in senium vergens et nimia corpulentia gravis, filium coronari jussit ut regni successorem: quo non multo post casu equi exanimato, alterum per manum pontificis Romani (49) diademate insignivit. Is, ut ferunt (50), ab antiqua Francorum fortitudine non degenerans, etiam Aquitaniam juri suo per uxoris dotale sædus acquisivit; quam post Ludovicum, Karoli magni filium, in proprio dominatu Francorum reges non habuisse noscuntur.

DE LUE PECORUM.

§ 7. Anno tricesimo primo (51) regni Henrici (A. D. 1132) infesta lues domesticorum animalium totam pervagata lues Angliam: plene porcorum haræ subito vacuabantur; integra boum præsepia repente destituebantur. Duravit sequentibus annis eadem pestis, ut nulla omnino totius regni villa, hujus miseræ immunis, alterius incommoda ridere posset. Tunc etiam contentio inter Bernardum episcopum Menevensis et Urbanum Landavensem de jure parochiarum, quas idem Urbanus illicite usurpaverat, æterno sine sopita est: tot enim ad curiam Romanam appellationibus, tot itinerum expensis, tot cau-

(43) *Eum dignatus est.* s. c. d. e 1, 12, *eum suscipere dignatus est.* e 2.

(44) *Ipsa.* s. c. d. e 2; l. 2, *omissum in e 1.*

(45) *Innocentius . . . dignitate.* Papa Innocentius obiit die Septembris vigesima quarta 1145.

(46) *Rex. e., rex Henricus,* s. c. d. l 2.

(47) *Natali solo.* s. c. d. e 1, 12, *natali Angliæ solo.* e 2.

(48) *Eodem anno.* Philippus, Ludovici VI filius natu major, patris sui jussu consecratus die Aprilis decima quarta 1129. Quo casu defuncto die Octobris decima tertia 1131, rex secundum suum filium Ludovicum Remis a Romano pontifice Innocentio II coronandum curavit.

(49) *Romani.* s. c. d. l 2, *Remensis.* e.

(50) *Ferunt.* s. c. d. e 1, 12, *dicunt,* e 2.

(51) *Anno tricesimo primo.* Rectius *secundo.* Vide Hen. Huntingdon.

(52) *Anno tricesimo secundo regni . . . acceperat.* Quamvis omnes mss. habeant *tricesimo secundo*, manifestum est ex eventibus *tricesimo tertio* hic requiri,

sidicorum conflictibus multis annis ventilata, tandem aliquando morte Urbani apud Romam soluta, vel potius decisa est; nam et apostolicus, æquitate rei perpensa, religioni et justitiæ Menevensis episcopi qua decebat sententia satisfecit. Eodem etiam anno Willelmus archiepiscopus Cantuariæ legationem in Angliam Romanæ sedis indulgentia, personaliter impetravit.

DE TRANSITU REGIS HENRICI ET DE MORTE EJUS.

§ 8. Anno tricesimo secundo regni pridie 700 transacto, Henricus nonis Augusti (A. D. 1133) (quo die quondam apud Westmonasterium coronæ calmen acceperat (52) Normanniam navigavit. Ultimus ille fatalisque regi transitus fuit. Mira tunc prorsus providentia Deitatis rebus alludit humanis, ut eo (53) die navem ascenderet, nunquam iterum (54) reversurus, quo dudum coronatus fuerat, tam diu et tam feliciter regnaturus. Erant tunc (ut dixi) nonæ Augusti; et feria quarta (55) prosecuta sunt elementa dolore suo extremum tanti principis transitum. Nam et sol ipsa die, hora sexta (56), tetra ferrugine (ut poetæ solent dicere) nitidum caput obtexit, mentes hominum defectione sua terrens (57): et feria sexta proxima, primo mane, tantus terræ motus fuit ut penitus subsidere videretur, horribifico sono sub terra (58) ante audito. Vidi ego et in eclipsi stellæ circa solem; et in terræ motu parietem domus in qua sedebam, bifario impetu elevatum, tertio resedissem. Fuit ergo rex in Normannia triennio (59) continuo, et tanto plus quantum est *inter nonas Augusti*, quo die [dictum est (60)] mare transiit, et Kalendas Decembris (1 Dec. A. D. 1135), qua nocte decessit. Nec vero dubitandum, multa eum, quæ non immerito scribi deberent, in Normannia gessisse; sed consilium fuit præterire quæ ad nostram notitiam non integre pervenere. Opiniones reditus ejus in Angliam multæ; sive fato quodam, sive divina voluntate, omnes frustratæ. Regnavit ergo annis triginta quinque, 701 et (61) a nonis Augusti usque ad kalendas Decembris; id est, mensibus quatuor, diebus quatuor minus (62). Apud

Henrico regni sui annum tricesimum complete die Augusti quarta, 1133. Ex hoc loco et aliis patet Malmesburiensem Henrici regnum auspiciari a quinta mensis, fratris ejus die emortuali.

(53) *Eo.* s. c. d. e 1, 12, *eodem,* e 2.

(54) *Iterum. e., vivus,* s. c. d. l 2.

(55) *Feria quarta.* Mercurii die, secundo Aug. A. D. 1133.

(56) *Sol ipsa die, hora sexta.* Sol eclipsim passus est die Augusti secunda, post meridiem.

(57) *Defectione sua terrens. e., eclipsi sua concutiens,* s. c. d. l 2.

(58) *Terra. e., terris,* s. c. d. l 2.

(59) *Triennio.* Rectius *biennio.*

(60) *Dictum est. e., ut dictum est,* s. c. d. l 2.

(61) *Et.* s. c. d. e 2, l 2, *omitt. in e 1.*

(62) *Diebus quatuor minus.* s. c. d. l 2, *diebus minus, e 1, diebus quinque plus, e 2.* Computatio per lunares seu kalendares menses varias lectiones apte conciliat.

Liuns (63) exercitio venationis intentus, valetudine adversa correptus decubuit. Qua in deterius (64) crescente, evocavit ad se Hugonem (65), quem primo ex priore de Lewis abbatem apud Radingas, mox Rothomagi archiepiscopum, fecerat; merito sibi, et hæredibus suis, pro tantis beneficiis obnoxium. Optimates rumor suæ ægritudinis (66) celeriter contraxit. Affuit et Robertus filius ejus, comes Glocestre, qui, pro integritate fidei et virtutis eminentia, victuram in omne seculum memoriam sui nominatim promeruit. A quibus de successore interrogatus, filia omnem terram suam citra et ultra mare legitima et perenni successione adjudicavit; marito ejus subiratus, quod eam et minis et injuriis aliquantis irritaverat. Septimo incommodi die transacto, nocte jam intempesta naturæ cessit. Cujus magnanimos mores hic dicere supersedeo, quia in quinto libro (67) regalium gestorum plenissime illos contexui: quam Christiane autem (68) obierit, hæc subsequens epistola supradicti Rothomagensis archiepiscopi docet.

EPISTOLA ROTHOMAGI ARCHIEPISCOPI DE OBITU REGIS HENRICI.

§ 9. « Domino et patri suo Innocentio papæ, servus Hugo Rothomagensis sacerdos, obedientiæ **702** debitum.

« De domino meo rege, non sine dolore memorando, piæ paternitati vestræ notificandum duximus; qui, subita præventus ægritudine, nos, missis quam citissime legatis suis, ægritudinis (69) solatiis voluit interesse. Venimus ad ipsum, et cum ipso plenum mæroribus confecimus triduum. Prout ei dicebamus, ipse ore proprio sua fatebatur peccata, et manu propria pectus suam percutiebat, et malam voluntatem dimittebat. Consilio Dei, et nostro, et episcoporum, emendationem vitæ suæ observaturum sese promittebat. Sub ista promissione, eo firmiter annuente (70), pro nostro officio tertio enim et per triduum absolvimus. Crucem Domini adoravit; corpus et sanguinem Domini devote suscepit; elemosynam suam disposuit, ita dicendo: *Solvantur debita mea. reddantur liberationes et solidata quibus (71) debeo; reliqua indigentibus distribuantur.* Utinam sic fecissent qui thesauros ejus tenebant et tenent! Tandem illi auctoritatem deunctione infirmorum, quam Ecclesia a beato Jacobo apostolo suscepit, studiose proposuimus; et ipsius pia petitione oleo sancto eum inunximus. Sic in pace quievit: pacem det ei Deus, quia pacem dilexit! »

MODUS CORPUS REGIS HENRICI EXINTERATUM EST.

§ 10. Hæc præfatus Rothomagensis archiepi-

(63) Liuns, e., *Leonas*, s. d. 12. *Leonibus*, c.

(64) *In deterius*, s. c. d. e 1. 12, *evidentius*, e 2.

(65) *Hugonem*. Cognomine *Ambianensis*.

(66) *Suæ*, e., omissum in s. c. d. 12.

(67) *In quinto libro*, § 411.

(68) *Autem*, e., omissum in s. c. d. 12.

(69) *Ægritudinis*, e., *ægritudinis suæ*, s. c. d. 12.

(70) *Sub ista promissione*, eo firmiter annuente.

scopus de fide regis Henrici morientis vere contestatus est. Funus regaliter curatum, proceribusque vicissim portantibus Rotomagum usque delatum **703** est. Illic in quodam recessu ecclesiæ majoris exinteratum est, ne diuturnitate corruptum nares assidentium vel astantium exacerbaret: reliquæ interaneorum in cœnobio sanctæ Mariæ de Pratis juxta urbem humatæ; quod ipse, ut audio, a matre sua inchoatum, non paucis compendiis honoraverat. Corpus Cadomi servatum, quousque serenas auras paulo clementior hyems inveberet, quæ tum aspera inhorrerat.

DE STEPHANO REGE IN REGNUM PROMOTO.

§ 11. Interea Stephanus comes Moritonii et Bononiæ, nepos regis Henrici (ut supra dixi), qui post regem Scotiæ primas laicorum fidem suam imperatrici obstrinxerat, in Angliam per Witsand maturavit adventum. Imperatrix certis ex causis, simul et frater ejus Robertus comes Glocestre, cum omnibus pene proceribus, redire in regnum distulerunt. Quædam tamen (72) castella in Normanniâ, inter quæ præcipuum Danfrontum, partibus hæredis se applicuere. Constat sane illo die quo Stephanus appulsus est Angliam, suâmo mane, contra naturam hyemis in regionibus nostris, terrificum sonum tonitruum cum horrendo fulgure fuisse, ut paulo miuus mundus solvi æstimaretur. Ille, ubi a Londoniensibus et Wintoniensibus in regem exceptus est, etiam Rogerum Salesbiriensem episcopum et Willelmum de Ponte Arcus, custodes thesaurorum regalium, ad se transduxit. Ne tamen veritas celetur posteris, omnes ejus conatus irriti fuissent, nisi Henricus frater ejus, Wintoniensis episcopus, qui modo (73) apostolicæ sedis legatus est in Angliam, placidum ei commodasset assensum; **704** spe scilicet captus amplissima quod Stephanus avi sui Willelmi in regni moderamine mores servaret, præcipueque in ecclesiastici vigoris disciplina. Quapropter districto sacramento, quod a Stephano Willelmo Cantuariensis archiepiscopus exegit de libertate reddenda Ecclesiæ et conservanda, episcopus Wintoniensis se mediatorem et vadem apposuit. Cujus sacramenti tenorem, postea scripto inditum, loco suo non prætermittam.

DE CORONATIONE REGIS STEPHANI, ET DE MORIBUS EJUS.

§ 12. Coronatus est ergo in regem Stephanus Angliæ undecimo kalendas Januarii (74), Dominica (22 Dec., A. D. 1125), tribus episcopis presentibus, archiepiscopo, Wintoniensi, Salesbiriensi, nullis abbatibus, paucissimis optimatibus, vicesima secunda

e., *Sub ista ei firmiter annuente*, d., *sub ista promissione*, s., *Sub ipsa promissione ista ei firmiter annuente*, c. 12.

(71) *Quibus*, e., *quæ*, s. c. d. 12.

(72) *Tamen*, s. c. d. e 2. 12, omissum in c. 1.

(73) *Modo*, s. c. 12, omissum in c. d.

(74) *Undecimo kalendas Januarii*. Plerique contemporanei scriptores dicunt Stephanum coronatum fuisse die Decembris vicesima sexta.

die post excessum avunculi, anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo tricesimo quinto. Vir quidem impiger sæd minus prudens (75), armis strenuus, immodici animi ad quælibet ardua inchoanda, lenis et exorabilis hostibus, affabilis omnibus : cuius cum dulcedinem in promissis suspiceret, veritatem tamen dictorum et promissorum efficaciam desiderares ; unde fratris consilium non multo post lapso tempore postponebat, cuius (ut dixi) auxilio munitus, et adversantes eunimoverat, et ad regnum accesserant.

DE HUMATIONE REGIS HENRICI.

§ 13. Anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo tricesimo sexto, postea (76), **705** regis Henrici corpus, lenibus flabris spirantibus, statim post Natale Domini impositum navi Angliam devectum est ; et apud Radingense cœnobium (quod et foris prædiorum magnitudine, et intus religiosorum monachorum ordine decoraverat), præsentem regni successore, humatum est. Postea vero rex Stephanus in Northanhumbriam paulo ante Quadragesimam contendit, ut David regem Scotiæ, qui diversa sentire dicebatur, conveniret : nec vero difficulter (77) ab eo quod voluit impetravit, quia et ille morum lenitate, et propiori jam senectute infractus, libenter in otium vel veræ vel simulatæ pacis concessit.

DE ADVENTU ROBERTI COMITIS GLOECSTRÆ IN ANGLIAM.

§ 14. Eodem anno post Pascha Robertus comes Gloecestræ, cuius prudentiam rex Stephanus maxime verebatur, venit in Angliam. Is, dum esset in Normannia, multa cogitatione fatigarat animum quidnam sibi super hoc negotio statuendum putaret : si enim regi Stephano subderetur, contra sacramentum quod sorori fecerat fore videbat ; si refragaretur, nihil sorori vel nepotibus profuturum, sibi certe immaniter nociturum, intelligebat. Habebat enim (ut supra tetigi) rex immensam vim thesaurorum, quos multis annis rex Henricus avunculus suus aggresserat (78) ; æstimabantur denarii, et hi exquisitissimi (79), **706** fere ad centum millia libras : erant et vasa tam aurea quam argentea magni ponderis et inæstimabilis pretii, et antiquorum regum, et Henrici potissimum, prudentia (80) congesta. Hanc copiam gazarum habenti auxiliares deesse non poterant ; præsertim cum esset ipse in dando diffusus, et (quod minime principem decet) prodigus. Currebatur ad eum ab omnium generum militibus,

(75) *Minus prudens. e., prudens, l. 2, imprudens, s. c. d.*

(76) *Millesimo centesimo tricesimo sexto, postea. e. l. 2., millesimo centesimo tricesimo quinto, s. c. d.*

(77) *Nec vero difficulter. e., nec difficile, s. c. d. l. 2.*

(78) *Rex Henricus avunculus suus aggresserat. e., avunculus aggresserat, s. c. d. l. 2.*

(79) *Denarii, et hi exquisitissimi. Auctor Dialogi de Scaccario narrat aliquando post Normannorum adventum rarissimam fuisse pecuniam in Anglia et usque ad Henrici I regnum omnia vectigalia regi*

A et a levis armaturæ hominibus, maximeque ex Fladria et Britannia. Erat genus hominum rapacissimum et violentissimum, qui nihil pensi haberent vel cœmeteria frangere vel ecclesias expoliare (81) ; religiosi quinetiam ordinis viros non solum equis proturbare, sed et in captivum abducere : non solum advenæ, sed etiam indigenæ milites, qui pacem regis Henrici oderant, quod sub ea tenui victa vitam transigebant. Hi omnes gratanter principis assenserant, quem levi negotio ad sua commoda innectere possent, provincialium dispendio suas fortunas urgentes. Erat præterea Stephanus, cum esset comes, facilitate morum, et communione jocandi, considendi, convescendi (82) etiam cum infamis, amorem tantum demeritus quantum vix mente aliquis concipere queat : et jam omnes proceres Angliæ in ejus assensum pronis mentibus transierant. Erat igitur (83) anxius prudentissimus comes et illos delicti coargueret, et ad saniores sententiam præsentem colloquio revocaret, nam viribus obviare **707** nulla propter præfatas causas dabatur facultas : cui nimirum nec in Angliam venire liberum erat, nisi, quasi defectionis eorum particeps, mentis suæ arcanum ad tempus dissimularet. Itaque homagium regi fecit sub conditione quadam, scilicet, quamdiu ille dignitatem suam integre custodiret et sibi pacta servaret ; spectato enim jamdudum regis ingenio, instabilitatem fidei ejus prævidebat.

DE SACRAMENTO QUOD REX STEPHANUS FECIT DE SERVANDA JUSTITIA ET PRIVILEGIIS ET LEGIBUS REGNI.

§ 15. Eodem anno, non multo post adventum comitis, juraverunt episcopi fidelitatem regi quamdiu ille libertatem ecclesiæ et vigorem disciplinæ conservaret. Ipse quoque juravit juxta tenorem scripti quod sic habetur in subditis : Ego Stephanus, Dei gratia, assensu cleri et populi, in regem Angliæ electus, et a domino Willelmo archiepiscopo Cantuariæ et sanctæ ecclesiæ Romanæ legato consecratus, et ab Innocentio sanctæ Romanæ sedis pontifice postmodum confirmatus, respectu et amore Dei sanctam ecclesiæ liberam esse concedo, et debitam reverentiam illi confirmo. Nihil me in ecclesia, vel in rebus ecclesiasticis, simoniacæ acturum vel permissurum esse promitto. Ecclesiasticarum personarum et omnium clericorum, et rerum eorum, justitiam et potestatem, et distributionem honorum ecclesiasticorum, in manu episcoporum esse perhibeo et confirmo. Dignitates ecclesiarum privile-

debita annona aliisque cibariis ad usum familiæ ejus soluta. Henricus autem primus jussit omnia pecunia solvi. Solutiones ideo effliciebantur ad scilicet et ad pensum ; in numero seu numerando, per combustionem seu liquando. Quibus pensionis modis cautum est ut non nisi probata pecunia vendentes et einentes uterentur. Quam fortasse ob causam nummi Henrico regnante cusi eximii habiti sunt.

(80) *Prudentia. e., magnanimitate, s. c. d. l. 2.*

(81) *Expoliare. e., expilare, s. c. d. l. 2.*

(82) *Convescendi. e. l. 2, consuescendi, s., omni in c. d.*

(83) *Igitur. e., quidem, s. c. d. l. 2.*

gis earum confirmatas, et consuetudines earum A antiquo tenore habitas, inviolate manere statuo et confirmo (84). Omnes ecclesiarum 708 possessiones et tenuras, quas die illa habuerunt qua Willelmus rex avus meus fuit vivus et mortuus, sine omnium calumniantium reclamacione, eis liberatas et absolutas esse concedo. Si quid vero de habitis aut possessis ante mortem regis, quibus modo careat, ecclesia deinceps repetierit, indulgentiæ et dispensationi meæ vel discutiendum vel restituendum reservo. Quæcunque vero post mortem regis, liberalitate regum, largitione principum, oblatione vel comparacione vel qualibet transmutatione fidelium, collata sunt, confirmo pacem me et iustitiam in omnibus facturum, et pro posse meo conservaturum, promitto. Forestas quas Willelmus rex avus meus, et Willelmus secundus avunculus meus, instituerunt et tenuerunt, mihi reservo: cæteras omnes, quas Henricus rex superaddidit, ecclesiis et regno quietas reddo et concedo. Si quis autem episcopus vel abbas, vel alius ecclesiasticus (85), ante mortem (86) suam rationabiliter sua distribuerit, vel distribuenda stauerit, firmum manere concedo: si vero morte præoccupatus fuerit, pro salute animæ ejus ecclesiæ consilio eadem fiat distributio. Dum vero sedes propriis fuerint pastoribus vacuæ, et ipsæ et omnes earum possessiones 709 in manu et custodia (87) clericorum et proborum hominum ejusdem ecclesiæ committantur, donec pastor canonice substituantur. Omnes exactiones, et mescheningas, et injustitias, sive per vicecomites vel per alios quoslibet male inductas, funditus extirpo. Bonas leges, et antiquas et justas consuetudines in murdris, et placitis, et aliis causis observabo, et observari præcipio et constituo. Apud Oxeneford, anno incarnationis Domini millesimo centesimo tricesimo sexto, regni mei primo. »

QUOD REX STEPHANUS OMNIA HÆC QUÆ JURAVERAT PERFERAM MUTAVIT.

§ 16. Nomina testium, qui multi fuerunt, apponere fastidio; quia pene omnia ita perperam mutavit, quasi ad hoc tantum jurasset ut prævaricationem sacramenti se regno toti ostenderet. Liceat enim mihi, pace mansuetissimi hominis, verum non occulere; qui, si legitime regnum ingressus fuisset, et in eo administrando credulas aures malevolorum susurris non exhibuisset, parum ei pro-

(84) Statuo et confirmo. e., concedo et statuo, s. c. d. l. 2.

(85) Alius ecclesiasticus. e., alia ecclesiastica persona, s. c. d. l. 2.

(86) Ante mortem. Mos fuerat ad regis usum corripere omnia quæ ecclesiastici moriendo relinquebant. Henricus Huntinduniensis refert mortuo Gilberto Universali, Lundiniensi episcopo, viro avaritia insigni, res ejus omnes, inter quas arcas auro argenteoque refertas ad ærarium translatas fuisse. *Anglia sacra*, II. 698. Aliquando etiam quæ ad morientis lectum distributa fuerant in nomine regis repetebantur. Vide 3. Neub. III. 5 (SHARPE, 563.) Mos ille ecclesiasticorum mortuorum res corripiendi

Afecto ad regis personæ decorem defuisset. Itaque sub eo aliquarum ecclesiarum thesauri direpti, possessiones terrarum laicis datæ; ecclesiæ clericorum alienis venditæ; episcopi capti, et (88) res suas abalienare coacti; abbatia, vel amicorum gratia, vel relaxatione debitorum, indignis concessæ. Sed hæc non tam illi, quam consiliariis ejus, ascribenda puto; qui persuadebant ei, nunquam eum debere carere denariis dum monasteria essent referta thesauris.

710 DE TRANSITU REGIS STEPHANI ET ROBERTI COMITIS GLOCESTRÆ IN NORMANNIAM, ET DE INSIDIIS HABITIS A REGE IN COMITEM.

§ 17. Anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo tricesimo septimo (89), rex, primo tempore Quadragesimæ, transit mare. Comes etiam, pertentatis illorum et cognitis animis quos datæ fidei tenaciores esse noverat, dispositoque quid deinceps agendum decerneret, ipso (90) die Paschæ mare ingressus, plenaque felicitate in terram eventus est. Nec multo post, malignitatem adversæ fortunæ paulo minus expertus est; rex enim eum, incensore quodam Wilhelmo de Ippe, insidiis intercipere conatus est. Comes autem eas per quendam insidiarum conscium præmunitus, paratos sibi evitavit dolos; et curia, quo sæpe invitabatur, aliquantis diebus abstinuit. Rex, consternatus animo quod insidiis parum profecisset, astutia agendum ratus, serenitate vultus et gratuita confessione magnitudinem culpæ attenuare studuit. Juravit tamen verbis pro placito comitis conceptis, se nunquam ulterius tanto sceleri assuturum; et ut magis in gratiam reciperetur, manu archiepiscopi Hugonis Rothomagensis in manum Roberti missa, sacramentum solidavit. Et hæc quidem egit ille; sed nunquam plenam ei exhibuit amicitiam, cujus semper suspectam habebat potentiam: itaque coram comite (91) pulchre jocundeque comitem illum (92) appellans, retro maledicis verbis mordebat, et quibus poterat possessionibus vellicabat. Robertus quoque, arte artem eludens, occultabat fronte animum; 711 pacificeque regem in regnum redire dimittens, ipse commodis suis in Normannia manens intendit. Ita Stephano multis tumultibus in Anglia impedito, et nunc super hos (93), nunc super alios irruente, ut merito illi quod de Ismabele dictum est coaptari posset, « quia manus omnium contra illum

versus videtur in consuetudinem clamandi pro rege poculum et jumentum defuncti episcopi, prioris, abbatis. (Vide Rot. Claus. 39 Hen. III. m. 47 in dorso.)

(87) Et custodia. s. c. d. e. 2. l. 2, omissum in e. 1.

(88) Et. e. l. 2., vel, s. c. d.

(89) Millesimo centesimo tricesimo septimo. s. c. d. l. 2., millesimo centesimo tricesimo sexto, e.

(90) Ipso. e. l. 2, ipse, s. c. d.

(91) Comite. s. c. d. l. 2, omissum in e.

(92) Illum. s. c. d. l. 2, omissum in e.

(93) Hos. e., unos, s. c. d. l. 2.

et illius contra omnes, Robertus toto anno illo securum in Normannia egit otium. Rex prompte contra sibi resistentes crebro (ut ferebatur) dicere solebat: « Cum me in regem elegerint, cur me destituunt? per nascentiam Dei, nunquam rex dejectus appellabor! » Robertus, quasi positus in specula (94), rerum providebat exitum; et ne de juramento, quod sorori fecerat, erga Deum et homines perfidiae notaretur, sedulo cogitabat.

QUOMODO ET QUIBUS DE CAUSIS ROBERTUS COMES ROMAGIUM REGIS ABDICAVIT.

§ 18. Anno incarnationis Dominicæ millesimo centesimo tricesimo octavo, intestinis dissidiis Anglia quatiebatur: multi siquidem, quos nobilitas generis, vel magnitudo animi, vel potius viridioris ætatis (95) audacia, ad illicita præcipitabat, a rege, hi prædia, hi castella, postremo quæcunque semel collibisset, petere non verebantur; quæ cum ille dare differret, excusata mutilatione regni, vel quod eadem alii calumniarentur aut etiam possiderent, illi continuo ira commoti castella contra eum obfirmabant, prædas ingentes ex ejus terris agebant. Nec vero ille aliquorum defectione frangebatur animo; sed modo hic, modo illic subitus aderat, semperque suo magis quam resistentium damno rem conficiebat: multis 712 enim et magnis laboribus suis in cassum effusis, datis vel honoribus vel castellis, simulatam ad tempus pacem ab illis promerebat. Denique multos etiam comites, qui ante non fuerant, instituit; applicitis possessionibus et redditibus quæ proprio jure regi competebant. Erant illi avidiores ad petendum, et is profusior ad dandum; quia fama per Angliam volitabat, quod comes

A Glocestreæ Robertus, qui erat in Normannia, in proximo partes sororis foret adiuturus, rege tantummodo ante diffidato. Nec fides (96) rerum famæ levitatem destituit: celeriter enim post Pentecosten, missis a Normannia suis regi, more majorum amicitiam et fidem interdixit, homagio etiam abdicato; rationem præferens quam id juste faceret, quia et rex illicite ad regnum aspiraverat, et omnem fidem sibi juratam neglexerat, ne dicam meritum fuerat; ipsemet quin etiam contra legem egisset, qui, post sacramentum quod sorori dederat, alteri cuilibet ea vivente se manus dare non crubisset. Animabant nimirum mentem ejus multorum religiosorum responsa, quos super negotio consuluerat: Nullo modo eum posse sine ignominia vitam præsentem transigere, vel mereri beatitudinem futuræ, si paternæ necessitudinis sacramentum irritum haberet. Ad hæc (97) etiam apostolici decreti præ se tenorem ferebat, præcipientis ut sacramento, quod præsentem patre lecerat, obediens esset; cujus decreti paginam posteriori libello indicere curabo. Hæc vir ille, qui plena satietate literarum scientiam combiberat, magno fructu sibi fore in posterum sciebat. Cæterum, rex ægre ferens comitis magnanimitatem, omnibus 713 eum possessionibus in Anglia quibus poterat privavit (98), et quædam ejus castella complanavit. Solum Bristowia remansit, ut non solum hostes expelleret, sed etiam crebris regem incursionibus fatigaret. Sed quia primum librum Novellæ Historiæ a redivit imperatricis (post mortem mariti) ad patrem hucusque protraxisse suffecerit, nunc secundum ordiemur, ab eo anno quo eadem virago in Angliam venit, jus suum contra Stephanum assertura.

714-715 LIBER SECUNDUS.

§ 19. Anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo tricesimo nono, venenum malitiæ, diu in animo regis Stephani nutritum, tandem erupit in publicum. Serebantur in Anglia rumores jam jamque adventurum e Normannia comitem Robertum cum sorore; qua spe cum multi a rege non solum animo, sed et facto, deficerent, ipse dispendia sua multorum injuriis sarciebat (99). Plures etiam, pro sola suspitione diversarum contra se partium, in curia sua contra decus regum captos, et ad redditionem castellorum, et ad quascunque voluit condiciones, adduxit. Erant tunc duo in Anglia episcopi potentissimi, Rogerius Salesbiriensis, et nepos ejus ex

fratre, Alexander Lindocoliensis. Alexander ad tamen (ut dicebat) et dignitatem episcopii castellum de Niwewerche construxerat. Rogerius, qui ædificiorum constructione magnanimum se videri vellet, plura apud Scireburnam, et apud Divisas multum terrarum ædificiis amplexus, turritas moles crexerat. Apud Malmesburiam in ipso 716 cœmeterio, ab ecclesia principali vix jactu lapidis, castellum Salesbiriæ, quod cum (100) regii juris proprium esset, ab Henrico rege impetratum, muro cinctum custodiæ suæ attraxerat. His moti quidam potentes laici, qui se a clericis et opum congerie et municipiorum magnitudine superatum iri dolerent,

(94) *Specula*. s. c. d. e. 1. l. 2, *speculo*, e. 2.

(95) *Ætatis*. s. c. d. e. 1. l. 2, *animi vel ætatis*, e. 2.

(96) *Fides*. e., *veritas*, s. c. d. l. 2.

(97) *Ad hæc*. e., *Adde quod*, s. c. d., *Addebant quod*, l. 2.

(98) *Possessionibus in Anglia quibus poterat pri-*

vavit. e., *possessionibus in Anglia privavit, quantum in ipso fuit*, s. c. d. l. 2.

(99) *Ipse dispendia sua multorum injuriis sarciebat*. e., *ipse injurias suas multorum dispendiis sarciebat*, s. d. l. 2.

(100) *Cum*. e., *omissum in s. d. l. 2.*

cæcum intra pectora (1) vulnus alebant invidiæ. Ita que conceptas querimonias regi effundunt: Episcopos, oblitos ordinis, in castellis ædificandis insanire. Nulli dubium esse debere quin hæc ad perniciem regis fierent omnia, dum illi, statim ut venisset imperatrix, cum traditione castellorum dominæ occurrerent, paternorum scilicet beneficiorum memoria inducti. Præveniendos ergo citius, et ad deditonem munitionum arctandos; alioquin regem seram pœnitentiam acturum, cum in potestate hostium esse (2) videret quæ, si saperet, sibi apponere potuisset. Hæc optimates sæpius. Ille, quamvis eis nimis blandientes dissimulavit audire; molliens dilationis amaritudinem, vel religionis in episcopis gratia, vel (quod magis opinor) suæ detractionis invidia. Denique illorum, quæ proceres suaserant, effectum non distulit cum primum volenti se occasio ingressit. Ea fuit hujusmodi.

DE CAPTIONE EPISCOPORUM.

§ 20. Apud Oxenefordum circa octavum kalendas Julii (Jun. 24) facto conventu magnatum, prædicti quoque pontifices advenerunt. Invitus valde Salesbiriensis hanc expeditionem incepit. Audivi, etenim (3) eum dicentem verba in hanc sententiam: **717** « Per dominiam meam sanctam Mariam (nescio quo pacto) relucatur mens mea huic itineri! Hoc scio, quod ejus utilitatis ero in curia, cujus est equinus pullus in pugna. » Ita præsagebat animus mala futura. Tunc, quasi fortuna videretur favore (4) voluntati regis, concitatus est tumultus inter homines episcoporum et Alani comitis Britannicæ pro vendicandis hospitibus: eventu miserabili, ut homines episcopi Salesbiriensis ecclesiæ (5), messæ assidentes, semesis epulis ad pugnam prosilierent. Primo maledictis, mox gladiis res acta. Satellites Alani fugati (6), nepos ejus paulo minus occisus: victoria non incruenta episcopalibus cessit; multis sauciatis, uno etiam milite interfecto (7). Rex, occasione accepta (8), per antiquos incentores conveniri jussit episcopos ut curiæ suæ (9) satisfacerent de hoc, quod homines eorum pacem ipsius exturbassent: modus satisfactionis foret, ut claves castellorum suorum quasi fidei vades traderent. Illos ad satisfaciendum paratos, sed de deditone castellorum cunctantes, ne abirent arctius asservari præcepit. Ita Rogerium episcopum absque vin-

culis, cancellarium (10), qui nepos esse, vel plusquam nepos, ejusdem episcopi ferebatur, compeditum, duxit ad Divisas, si vel castellum recipere posset, multis (11) et vix numerabilibus sumptibus, non (ut ipse **718** præsul dictabat) ad ornamentum, sed (ut se rei veritas habet) ad ecclesiæ detrimentum, ædificatum. In ipsa obsessione castella Salesbiriæ, Sciresburniæ, Malmesbiriæ regi data: ipsæ Divisæ post triduum redditæ, cum sibi ultroneum jejunium episcopus indixisset, ut hac angustia sua animum (12) episcopi Eliensis, qui eas occupaverat, flecteret. Nec Alexander (13) episcopus Lindocoliensis obstinatus egit, redditione castellorum Niwerh et Etlefford (14) liberationem mercatus.

§ 21. Hoc regis factum in diversas sententias solvit ora multorum. Quidam dicebant jure castellis alienatos episcopos videri, quæ præter scita canonum ædificassent: illos evangelistas pacis esse debere, non architectos domorum quæ auctoribus malefici forent refugium. Hæc amplioribus rationibus et sermonibus agebat Hugo archiepiscopus Rothomagi, quantum illa facundia poterat maximus regis propugnator. Alii contra, quorum partibus assistebat Henricus Wintoniensis episcopus, sedis apostolicæ in Anglia legatus, frater regis Stephani, ut ante dixi; quem nec fraterna necessitudo, nec periculi metus, a vero tunc (15) exorbitare cogebat. Sic porro dicebat: « Si episcopi tramitem justitiæ in aliquo transgrederentur, non esse regis, sed canonum judicium; sine publico et ecclesiastico concilio illos nulla possessione privari debuisse: regem id non rectitudinis zelo (16), sed commodi sui compendio fecisse; qui castella non ecclesiis, ex quarum **719** sumptibus et in quarum terris constructa erant, reddiderit, sed laicis, eisdemque parum religiosis contrædiderit. » Ista vir ille tum privatim, tum etiam publice coram rege affirmans, ejusdemque aures de liberatione et restitutione pontificum appellans, omnem consumpsit operam, in nullo auditus: quapropter, vigorem canonum experiendum ratus, concilio, quod quarto kalendas Septembris (Aug. 29) celebraturus erat Wintoniæ, fratrem incunctanter adesse præcepit

DE CONCILIO HABITO PRO CAPTIONE EPISCOPORUM.

§ 22. Dicto die omnes fere episcopi Angliæ, cum Thetbaldo archiepiscopo Cantuariæ qui Willelmo successerat, venerunt Wintoniam. Archiepiscopus

(1) Pectora. e., pectus., s. d. l. 2.

(2) Esse. e., omissum in s. d. l. 2.

(3) Etenim. e., omissum in s. d. l. 2.

(4) Favere. e., famulari, s. d. l. 2.

(5) Ecclesiæ. e., omissum in s. d. l. 2.

(6) Satellites Alani fugati. Vide infra. §. 24.

(7) Interfecto. e., occiso, s. d. l. 2.

(8) Occasione accepta. e., occasionem aucupatus, s. d. l. 2.

(9) Suæ. s. d. e. 2. l. 2, omissum in e. 1.

(10) Cancellarium in d. Alexandrum super scriptum est deleto verbo, sed non recte. Rogerius, Angliæ cancellarius, filius erat Rogerii Saresbiriensis episcopi, et Maudicæ Ramesbiriensis, pellicis ejus.

(11) Si vel castellum recipere posset, multis. e. 1., scilicet castellum multis, s. l. 2, secundum castellum multis, d., e. 2, legit s. pro si vel.

(12) Animum. e., animositatem, s. d. l. 2. Gestorum Stephani auctor narrat utrumque episcopum, regis jussu, cibo privatum. Quorum unus in stabulo, alter in vili cellula recludebatur. (Flor. Wigorn. Contin. A. D. 1158.)

(13) Alexander. e., omissum in s. d. l. 2.

(14) Castellorum Niwerh et Etlefford. e., castelli, s. d. l. 2.

(15) Tunc. e., omissum in s. d. l. 2.

(16) Rectitudinis zelo. e. l. 2, ex rectitudinis zelo, s. d.

Eboracensis Turstinus pro valetudine qua gravabatur, vix enim animi viribus corpus regebat, cæteri vero pro guerra, literis absentiam suam excusarunt. Lectum est primo in concilio decretum Innocentii papæ, quo jam a kalendis Martii (si bene commemini) partes sollicitudinis suæ idem apostolicus domino episcopo Wintoniensi jure legationis in Anglia injunxerat. Exceptum id summo favore, quod, diuturnitate temporis temperantiam suam ostendens episcopus, non se prærupta legatum promulgasset jactantia. Processit deinceps in concilio sermo ejusdem Latialiter, ad literatos habitus, de indignatione captivonum episcoporum : quorum Salesbiriensis in camera curiæ, Lindocoliensis in diversorio suo intercepti essent; Heliensis, exemplum simile veritus, veloci profugio ad Divisas se calamitati exemisset. Scetus miserabile regem ab incentoribus ita fuisse seductum, ut hominibus suis, præsertim episcopis, in curiæ suæ pace manus injici jussisset. Adjuncta esset regio dedecori cœlestis injuria, ut, sub obtentu culpæ pontificum, ecclesiæ 720 possessionibus suis spoliarentur. Sibi regis contra Dei legem excessum tanto dolori esse, ut mallet se multo dispendio et corporis et rerum suarum affici, quam episcopalem celsitudinem tanta indignitate dejici. Quin etiam regem de emendatione peccati multotiens communitum (17), postremo (18) concilii vocationem non abuisse. Proinde archiepiscopus et cæteri consulere in medium quid opus esset factu : se ad executionem consilii nec pro regis, qui sibi frater erat, amicitia, nec pro damno possessionum, nec etiam pro capitis periculo, defuturum.)

§ 23. Dum hæc ille sensim per amplificationem exponit, rex, causæ suæ non diffusus, comites in concilium misit, quærens cur vocatus esset. Responsum est a legato ex compendio : « Non debere illum, qui sé Christi fidei subjectum meminisset, indignari si a ministris Christi ad satisfactionem vocatus esset, tanti reatus conscius quantum nostra secula nusquam vidissent. Gentilium quippe seculorum opus esset episcopos incarcerare, et possessionibus suis exuere. Dicerent ergo fratri, quod si consilio suo placidum commodare dignaretur assensum, tale illi Deo auctore largiretur, cui nec ecclesia Romana, nec curia regis Franciæ, nec ipse comes Theibaldus frater amborum (sapiens profecto vir et religiosus) ex ratione contraire posset, sed quod favorabiliter complecti deberent. Consulte vero in præsentiarum rex faceret, si vel rationem facti sui redderet, vel canonicum judicium subiret. Ex debito etiam oportere ut ecclesiæ faveret, cujus sinu exceptus, non manu militum in regnum promotus fuisset. » Cum (19) dicto comites

A egressi, 721 nec multo post cum responso (20) reversi sunt. Comitabatur eos Albericus quidam de Ver, homo causarum varietatibus exercitatus. In responsum regis retulit, et quantum potuit causas antistitis Rogerii (episcopus enim Alexander aberat (21), quem manutenuit (22) gravavit; modeste tamen, sine ulla verborum contumelia : quamvis quidam comitum, astantes juxta, crebro loquelam ejus interromperent, probra in episcopum jacentes.

§ 24. Hæc ergo fuit summa dictorum Alberici : « Multis injuriis Rogerium episcopum affecisse regem Stephanum : rarissime ad curiam (23) venisse quin homines sui, de ejus potentia præsumentes, seditiones movissent. Qui cum sæpe (24) alias, tum nuper apud Oxenefordum fecissent impetum in homines et in ipsum nepotem comitis Alani; in homines etiam Hervei de Liuns, qui esset tantæ nobilitatis, tanti supercillii, ut nunquam regi Henrico petenti animum indulserit in Angliam venire. In injuriam ergo regis Stephani redundare, pro cujus amore venerit, quod ea (25) tanta vis illata sit. Episcopum Lindocoliensem, ex veteri odio in Alanum, seditionis per homines suos auctorem fuisse. Episcopum Salesbiriensem inimicis regis clam favere, dissimulata interim pro tempore versutia : id regem ex multis indubitanter comperisse; eoque potissimum, quod Rogerium de Mortemer, cum militibus regiis quos ducebat (26), in summo de Bristowien-sibus metu, nec una nocte idem episcopus Malmesbiriæ manere dimisisset. Omnibus esse in ore, quod, statim ut imperatrix venisset, 722 ille ad eam cum nepotibus et castellis se conferret. Rogerius itaque captus sit non ut episcopus, sed ut regis serviens, qui et procuraciones ejus administraret et solidatas acciperet. Castella non per violentiam rex eripuerit, sed episcopi ambo gratanter reddiderint, ut calumniam de tumultu quem in curia coacitaverant evaderent. Aliquantum (27) pecuniarum rex in castellis invenerit, quæ ipsius legitime essent; quia eas tempore regis Henrici, avunculi et antecessoris sui, ex fisci regii redditibus Rogerius episcopus collegisset. Eis tamen, sicut et castellis, idem præsal pro timore commissorum in regem libens cesserit : inde non deesse testes regi. Ipsum proinde velle ut

D pacta inter se et episcopos rata permanerent. »

§ 25. Reclamatum est ab episcopo Rogerio contra sermones Alberici, quod nunquam regis Stephani minister fuisset, nec ipsius solidatas accepisset : minæ quinetiam ab animoso viro, et qui malis erubesceret frangi, prolatae, si justitiam de rebus sibi ablatis in illo concilio non invenisset, eam in audientia majoris curiæ quærendam. Leniter legatus, ut cætera : « Omnia quæ dicuntur contra episcopos

(17) *Communium. e. l. 2, admonitum, s. d.*

(18) *Postremo. e., postremo tunc, s. d. l. 2.*

(19) *Cum. e., Sic cum, s. d. l. 2.*

(20) *Cum responso. e., proviso responso, s. d. l. 2.*

(21) *Aberat. e., abierat, s. d. l. 2.*

(22) *Quem manutenuit. e., onisum in s. d. l. 2.*

(23) *Curiam. e., curiam regis, s. d. l. 2.*

(24) *Sæpe. s. d. e. 2. l. 2, omisum in e. l.*

(25) *Ea. e., ei. s. d. l. 2.*

(26) *Ducebat. e., ductitabat, s. d. l. 2.*

(27) *Aliquantum. e., aliquidantum, s. d. l. 2.*

prius in concilio ecclesiastico et accusari et an vera A essent decuisset inquiri, quam in-indemnes contra canonum decreta sententiam præferri. Rex itaque faciat, quod etiam in forensibus judiciis legitimum est fieri, ut revestiat episcopos de rebus suis: alioquin jure gentium dissaisiti non placitabunt. »

§ 26. Dictis in hunc modum utrobique multis, causa petitu regis in posterum diem dilata; nec minus in crastinum, ad adventum archiepiscopi Rothomagensis postridie prolongata. Is ubi venit, **723** omnium suspensus animis quidnam afferret, dixit se concedere ut episcopi castella haberent si se jure habere debere per canones probare possent; quod quia non possent, extremæ improbitatis esse contra canones niti velle. « Et esto (inquit) justum sit ut habeant: certe, quia suspectum est tempus, se- B cundum morem aliarum gentium, optimates omnes claves munitionum suarum debent voluntati regis contradere, qui pro omnium pace debet militare. Ita omnis controversia episcoporum infirmabitur (28): aut enim secundum canonum scita injustum est ut habeant castella; aut, si hoc ex (29) indulgentia principali toleratur, ut tradant claves necessitati temporis debent cedere. »

§ 27. His prædictus subjecit (30) caudidicus Albericus: Significatum esse regi quod murmurarent (31) inter se pontifices, pararentque aliquos ex suis contra eum Romam mittere. « Et hoc, ait, laudat vobis rex, ne quisquam vestrum præsumat facere; quia, si quis contra voluntatem suam et regni dignitatem ab Anglia quoquam iret, difficilis ei fortassis reditus foret. Ipse quietiam, quia se gravari videt, ultro ad Romam appellat vos. »

§ 28. Hæc postquam rex, partim quasi laudando, partim minando, mandasset, intellectum est quod tenderet. Quapropter ita discessum est, ut nec ipse censuram canonum pati vellet, nec episcopi in eum exerere consultum (32) ducerent: duplici ex causa, seu quia principem excommunicare sine apostolica conscientia temerarium esset; **724** seu quoniam audirent, quidam etiam viderent, gladios circa se nudari. Non enim jam ludicra erant verba, sed de vita et sanguine pene certabatur. Non omiserunt tamen legatus et archiepiscopus quin tenorem officii sui prosequerentur: suppliciter enim pedibus regis in cubiculo affusi, oraverunt ut misereretur ecclesiæ, misereretur animæ et famæ suæ, nec pateretur fieri dissidium inter regnum et sacerdotium. Ille dignanter assurgens, quamvis a se facti eorum amoliretur invidiam, malorum tamen præventus consiliis, nullam bonarum promissionum exhibuit efficiam.

(28) *Infirmabitur. e., infirmabatur, s. d. l. 2.*

(29) *Ex. e. 1., pro, s. d. e 2, l. 2.*

(30) *Subjecit. e., addidit, s. d. l. 2.*

(31) *Murmurarent. e., minarentur, s. d., minitarent, l. 2.*

(32) *In eum exerere consultum. e., eum execrare consuetum, d., eum consuetum exerere, s., eum exe-*

DE ADVENTU IMPERATRICIS ET ROBERTI COMITIS IN ANGLIAM.

§ 29. Kalendis Septembris (Sept. 1) solutum est concilium. Pridie vero kalendarum Octobrium (Sept. 30.) comes Robertus, tandem nexus morarum eluctatus, cum sorore imperatrice invectus est Angliæ, fretus pietate Dei et fide legitimi sacramenti: cæterum, multo minore armorum apparatu quam quis alius tam periculosum bellum aggredi tentaret, non enim plusquam centum et quadraginta milites tunc secum adduxit. Testimonio veridicorum relatorum sermo meus nititur. Dicerem, nisi adulatio videretur, non imparem fuisse illum (33) Julio Cæsari duntaxat animo, quem Titus Livius commemorat quinque solum cohortes habuisse quando civile bellum inchoavit; cum quibus, Inquiens (34), orbem terrarum adortus est. Quamvis iniqua comparatione Julius et Robertus conferantur: Julius enim, veræ fidei extorris, in fortuna sua (ut dicebat) et legionum virtute spem **725** reclinabat: Robertus, Christiana pietate insignis, in Sancti Spiritus et dominæ sanctæ Mariæ patrocinio totus pendulus erat. Ille in tota Gallia, et partim in Germania et Britannia, fautores habens, omnem etiam Romanam plebem, excepto senatu, muneribus sibi devinxerat: iste, præter paucissimos qui fidei quondam juratæ non immemores erant in Anglia, optimates vel adversantes vel nihil adjuvantes expertus est. Appulit ergo Arundellum; ibique novercæ suæ, quam, amissa matre imperatricis (ut præfatus sum), Henricus rex quondam lecto copulaverat, tuta (ut putabat) custodia sororem interim delegavit. Ipse per tam confertam barbariem, vix dum (ut audivi) duodecim militibus comitatus, Bristou contendit; occurrente sibi medio itineris Briano filio comitis ex Walengeford. Nec multo post cognovit sororem ex Arundello profectam; noverca enim fœminea levitate fidem, totiens etiam missis in Normanniam nunciis promissam, fefellerat. Dedit rex porro (35) Imperatrici Wintoniensis episcopi Henrici et comitis Mellentensis Walleranni conductum; quem cui libet, quamvis infestissimo inimico, negare laudabilem militum mos non est. Et Wallerannus quidem ultra Caluam tendere supersedit, episcopo in conductu D perseverante. Contractis ergo comes celeriter copiis ad metas a rege datas advenit, sororemque ad Bristou tutior (36) perduxit. Recepit illam postea in Gloucestram Milo, qui castellum ejusdem urbis sub comite habebat tempore regis Henrici, dato ei homagio et fidelitatis sacramento: nam eadem civitas caput est sui comitatus.

rere consultum, l. 2.

(33) *Illum. e., omisum in s. d. l. 2.*

(34) *Inquiens. Hoc verbum redundare videtur.*

(35) *Porro. e., ergo, s. d. l. 2.*

(36) *Ad Bristou tutior. e., Bristowe ad tutiora, s. d. l. 2.*

726 QUOMODO REX CEPERAT MALMESBIRIAM, ET DE A rum, ipsum postremo regnum fidei ejus committere: cancellarium initio regni, nec multo post

OBSDIONE TROBRIGIÆ.

§ 30. (37) Nonis Octobris (Ock 7) Robertus quidam filius Huberti, immanis ac barbarus, castellum Malmesbiriæ, quod Rogerius episcopus infausto auspicio inchoaverat, furtim noctu ingressus, combustoque vico, quasi magno triumpho gloriatus est. Veruntamen ante quindecim dies lætitia excidit, a rege fugatus. Castellum præcepit rex interim asservari, quoad, pace data, posset destrui. Ipse vero rex, antequam Malmesbiriæ venisset, quandam munitiunculam Milonis supernominati, Cernei nomine, occupaverat, ibique milites suos posuerat. Quapropter, sicut et ibi (38) et Malmesbiriæ, alias sibi successurum æstimans, castellum Hunfridi de Buhun, qui partibus imperatricis favebat, vocabulo **B** Trobrigge, invasit, sed irritus abiit.

QUOMODO HEREFORD CESSIT IMPERATRICI.

§ 31. Tota itaque regio circa Glocestram usque profundas Guallias, partim vi, partim benevolentia, pedetentim, residuis illius anni mensibus, se domine imperatrici applicuit. Aliquantis castellanorum, intra munitiones suas se contentantes, exitum rerum speculabantur. Civitas Hereford sine difficultate recepta: pauci milites, in castello animis obstinatis se includentes, a foris (39) obsessi. Appropinquavit rex si forte laborantibus opem aliquam comminisci posset; sed, frustratus voto, inglorius discessit: equitavit etiam juxta Bristou, superiusque contendens, villas quæ fuerunt in circuitu Dunestor combussit, **727** nihil omnino (in quantum valebat) reliquum faciens quod posset inimicis suis esui vel alicui usui esse.

DE OBITU ET MORIBUS ROGERII EPISCOPI SALESBIRIÆ.

§ 32. Tertio idus Decembris (Dec. 11) Rogerius episcopus Salesbiriæ febrem quartanam, qua jamdudum quassabatur, beneficio (40) mortis evasit: dolore animi aiant eum contraxisse valetudinem, utpote tantis et tam crebris a rege Stephano pulsatum incommodis. Eum mihi videtur Deus exemplum divitibus pro volubilitate rerum exhibuisse, ne sperent in incerto divitiarum; quas quidam, ut ait apostolus (41), appetentes a fide naufragaverunt. Insinuatus est primo comiti Henrico qui postmodum rex fuit, pro prudentia res domesticas administrandi, et luxum familiæ cohibendi. Fuit enim Henricus ante regnum in expensis parci animi et frugi, penuria scilicet rei familiaris astrictus, fratribus Willelmo et Roberto arroganter eum tractantibus. Cujus cognitis moribus, Rogerius ita eum tempore inopiæ demeruit, ut, cum ille solum regni ascendisset, nihil ei vel parum negaret quod ipse petendum putasset: largiri prædia, ecclesias, præbendas clericorum, abbatias integras monacho-

(37) Nonis Octobris... abiit. e., caput totum omissum est in s. c. d. g. k. l 2. m.

(38) Et ibi. e 1., sibi, e 2.

(39) Foris. s. d. c 1. l 2, foribus, c 2.

(40) Beneficio. s. d. l 2, a beneficio, c.

(41) Apostolus. l Tim 1, 19.

tere: cancellarium initio regni, nec multo post episcopum Salesbiriæ, fecit. Rogerius ergo agebat causas, ipse moderabatur expensas, ipse servabat gazas; hoc quando rex erat in Anglia, hoc sine socio et teste quando (quod crebro et diu accidit) morabatur Normanniæ. Nec solum a rege, sed et ab optimatibus, **728** ab his etiam quos felicitatis ejus invidia clam mordebat, maximeque a ministris et tunc (42) debitoribus regis, et quæcunque pene cogitasset conferrebantur. Si quid possessionibus ejus contiguum erat quod suis utilitatibus concederet, continuo vel prece vel pretio, sin minus violentia, extorquebat. Ipse, singulari gloria (quantum nostra ætas reminisci potest) in domibus ædificandis, splendida per omnes possessiones suas construxit habitacula, in quibus solum tuendis successorum ejus frustra laborabit opera; sedem unam mirificis ornamentis et ædificiis, citra ullam expensarum parcimoniam, in immensum extulit. Erat prorsus mirum videre de homine illo, quanta eum in omni genere dignitatum opum sequebatur copia, et quasi ad manum affluebat: quantula illa gloria, (qua quid posset accidere majus?) quod duos nepotes, suæ educationis opera, honestæ literaturæ et industriæ viros, effecit episcopos; nec vero exilium episcopatum, sed Lindocoliensis et Heliensis, quibus opulentiores nescio si habeat Anglia. Scitabat ipse quantum posset, et, aliquando durius quam talem virum deceret, Divinitatis abutebatur indulgentia. Denique, sicut poeta quidam de quodam (43) divite dicit,

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis (44);

ita Rogerius abbatias in episcopatum, res episcopatus in abbatiam, alterare conatus est. Malmesbiriense et Abbadesbiriense, antiquissima cœnobium, (quantum in ipso fuit) episcopatum delegavit: Scriburnensem prioratum, qui proprius est episcopi Salesbiriensis, in abbatiam mutavit; **729** abbatia de Hortuna proinde destructa et adjecta. Hæc tempore regis Henrici, sub quo res ejus (ut dixi) magnis successibus floruerunt: sed enim sub Stephano rege (45) (sicut prædixi) retro sublapsæ sunt; nisi quod in initio regni ejus nepotibus suis, uni cancellariam, alteri thesaurariam, sibi burgum Malmesbiriæ impetravit, subinde rege familiaribus suis ingeminante, «Per nascentiam Dei! mediocritatem Angliæ darem ei, si peteret. donec tempus pertrauscat: ante deficit ipse in petendo, quam ego in dando.» Posterioribus annis fortuna, nimium et ante diu ei blandita, ad extremum scorpiacea crudeliter hominem cauda percussit. Quale fuit illud, quod ante ora sua vidit homines bene de se meritos sauciari, familiarissimum militem (46) obtrun-

(42) Tunc. e., omissum in s. d. l 2.

(43) Quodam. e., quolibet, s. d. l 2.

(44) Diruit... rotundis. Horat. Epist. 1, 100.

(45) Rege. e., omissum in s. d. l 2.

(46) Militem. s. d. c 2. l 2, militem, e 1.

cari: postero die seipsum (ut supra fatus sum), A in redemptionem consumptis, dimittebant. Plures et nepotes suos, potentissimos episcopos, unum fugari, alterum teneri, tertium, dilectissimum sibi adolescentem, compedibus vinciri: post redditionem castellorum thesauros suos diripi, et se postmodum concilio sædissimis convitiis proscindi: ad ultimam, cum apud Salesbiriam pene anhelaret in exitum, quiddam residuum erat nummorum et vasorum, quod scilicet ad perficiendam ecclesiam super altare posuerat, se invito asportari. Extremum puto calamitatis, cujus etiam me miseret, quod, cum multis miser videretur, paucissimis erat miserabilis; tantum livoris et odii ex nimia potentia contraxerat, et immerito apud quosdam quos etiam honoribus auxerat.

DE INSTITUTIONE ABBATIARUM.

§ 33. Anno incarnati Verbi millesimo centesimo quadragesimo monachi abbatiarum quas Rogerius 730 episcopus contra fas tenuerat, rege adito, antiqua privilegia et abbates habere meruerunt. Electus est in abbatem Malmesbirix a monachis, secundum tenorem privilegii quod beatus Aldelmus a Sergio papa jam ante quadringentos sexaginta et sex annos impetraverat, et a regibus West-Saxonum Ina, Merciorum Ethelredo, roborari fecerat, ejusdem loci monachus Joannes, vir benignitate morum et animi liberalitate apprime insignis. Probavit legatus causam, improbavit personam; nullo enim modo menti ejus persuaderi poterat regem præter dationem pecuniæ electioni consensisse. Et quidem aliquantum nummorum promissum fuerat, causa libertatis ecclesiæ, non electionis personæ. Itaque Joannes, quamvis immatura morte anno eodem præreptus fuerit, æternam tamen et laudabilem sui memoriam cunctis post se seculis dereliquit: nullus enim (vere fateor) ejus loci monachus tantæ magnanimitatis facto assisteret, nisi Joannes inchoasset. Itaque habeant successores ejus laudem si libertatem ecclesiæ tutati fuerint, ipse procul dubio eam a servitute vindicavit.

DE CONFUSIONE GUERRÆ PER ANGLIAM.

§ 34. Totus annus ille asperitate guerræ inhorruit. Castella erant crebra per totam Angliam; quæque suas partes defendentia, imo (ut verius dicam) depopulantia. Milites castellorum abducebant D ab agris et pecora et pecudes, nec ecclesiis nec cœmiteriis parcentes. Vavassores, rusticos, quicumque pecuniosi putabantur, intercipientes, suppliciorum magnitudine ad quodvis promittendum cogebant (47). Domibus miserorum 731 ruricolarum usque ad stramen (48) expilatis, ipsos victos incarcerabant; nec, nisi omnibus quæcunque habebant, et quocunque modo (49) acquirere poterant,

in redemptionem consumptis, dimittebant. Plures in ipsis tormentis, quibus ad se redimendum constringebantur, dulces efflabant animas, quod solum poterant, Deo miserias suas applorantes. Et quidem, ex voluntate comitis, legatus cum episcopis omnes effractoires cœmiteriorum et violatores ecclesiarum, et qui sacri vel religiosi ordinis hominibus vel eorum famulis manus injecissent, multotiens excommunicavit; sed nihil propemodum hac profecit industria. Erat ergo videre calamitatem, Angliam, præclarissimam quondam pacis nutriculam, speciale domicilium quietis, ad hoc miserix devolutam esse, ut nec etiam episcopi nec monachi de villa in villam tuto possent progredi. Sub Henrico rege multi alienigenæ, qui genialis humi inquietationibus (50) exagitabantur, Angliam adnavigabant, et sub ejus alis quietum otium agebant: sub Stephano plures ex Flandria et Britannia, raptò vivere assueti, spe magnarum prædarum Angliam involabant. Comes Glocestrix Robertus (51) interea modeste se agere, nihil magis cavere quam ne vel parvo detrimento suorum vinceret. Magnates Anglorum, quos ad religionem jurisjurandi servandam flectere non posset, satis habebat in officio continere, ut qui nihil adjuvare vellent minus nocereut; secundum comicum, « volens quod posset, dum non posset quod vellet. » Ubicumque tamen commode fieri posse videbat, et militis 732 et ducis probe officium exequabatur: denique munitiones, quæ potissimum partibus susceptis nocebant, strenue debellavit; scilicet Harpetreu, quam rex Stephanus a quibusdam militibus comitis, antequam in Angliam venisset, ceperat; alias multas, Sudleie, Cernel, quam rex, ut dixi, in iudibus suis impleverat; et castellum quod idem rex contra Valengeford obfirmaverat, solo complanavit (52). Fratrem etiam suum Reinaldum in tanta difficultate temporis comitem Cornubiæ creavit. Nec vero minor erat regi animus ad adeunda quæ sibi competeabant munia, qui nullam occasionem prætermittebat quominus sæpe et adversarios propulsaret et sua defenderet; sed frustrabatur successibus, vergebantque in pejus omnia pro justitiæ penuria: jamque charitas (53) annonæ paulatim crescebat; et pro falsitate difficultas enim (54) monetæ tanta erat, ut interdum ex decem et eo amplius solidis vix duodecim denarii reciperentur. Ferebatur ipse rex pondus denariorum, quod fuerat tempore Henrici regis, alleviari jussisse; quia, exhausto prædecessoris sui immenso illo thesauro, tot militum expensis nequiret sufficere. Erant igitur Angliæ cuncta venalia; et jam non clam, sed palam ecclesiæ et abbatix vænum distrahebantur.

(47) Vavassores.... cogebant e., omissum in s. c. d. g. k. 12.

(48) Stramen. e., stratum, s. d. 12.

(49) Quocunque modo. e., quæcunque quocunque modo, s. d. 12.

(50) Inquietationibus. e. 12, turbellis, s. d.

(51) Glocestrix Robertus. e., omissum in s. d. 12.

(52) Scilicet Harpetreu... complanavit. e., omissum in s. c. d. g. k. 12.

(53) Caritas. s. e. 12, raritas. d.

(54) Enim. e., omissum in s. d. 12.

DE ECLIPSI SOLIS.

§ 35. Eo anno (A. D. 1140) in Quadragesima, tertio decimo kalendas Aprilis (Mart. 20), hora nona, feria quarta, fuit eclipsis per totam Angliam, ut accepi. Apud nos certe, et apud omnes vicinos nostros, ita notabiliter solis deliquium fuit, ut homines (quod 733 tunc fere ubique accidit), erat enim Quadragesima (55), mensis assistentes, primo (56) antiquum chaos timerent; mox, re cognita, progredientes, stellas circa solem cernerent. Cogitatum et dictum est a multis, non falso, regem non perannaturum in regno sine dispendio (57).

DE CAPTIONE ROBERTI FILII HUBERTI.

§ 36. Sequenti hebdomada, ipso tempore Passionis, septimo kalendas Aprilis (Mart. 26), præfatus barbarus Robertus filius Huberti (58), ad furta belli peridoneus, castellum de Divisis clanculo interceptit. Homo cunctorum quos nostri sæculi memoria complectitur immanissimus, in Deum etiam blasphemus; ultro quippe gloriari solebat se interfuisse ubi quater viginti (59) monachi pariter cum ecclesia concremati fuerint: idem se in Anglia factitaturum et Deum contristaturum deprædatione Wiltoniensis ecclesiæ, etiam (60) subversione Malmesbiriensis, cum monachorum illius loci omnium cæde; id se muneris eis repensurum, quod regem ad nocumentum sui admisissent. Hoc enim illis imponebat, sed falso. Hisce auribus audivi, quod si quando captivos (quod quidem rarissime fuit) immunes absque tortionibus dimittebat, et gratiæ ipsi de Dei parte agebantur, audivi (inquam) eum respondisse, « Numquam mihi Deus grates sciat! » Captivos melle lites flagrantissimo sole nudos sub divo (61) exponebat, muscas et 734 id genus animalia ad eos compungendum irritans. Jam vero nactus Divisas, jactare non dubitavit se totam regionem a Wintonia usque Londoniam per id castellum occupaturum, et ad tuitionem sui pro militibus Flandriam missurum. Hæc facere meditantem ultio cœlestis impedivit per Johannem filium Gildeberti (62), magnæ versutiæ virum, qui apud Merleberge castellum habebat: ab eo siquidem vinculis innodatus, quia Divisas dominæ

A suæ imperatrici reddere detrectabat, patibulo appensus et exanimatus est (63). Miro circa sacrilegum Dei judicio concitato, ut non a rege cui adversabatur, sed ab illis quibus favere videbatur, exitum tam turpe meruerit. Mortis illius auctores digno attollendi præconio, qui tanta peste patriam liberant, ac intestinum hostem tam juste damnariat

DE CONVENTU LEGATI ET ARCHIEPISCOPI ET REGINE, ET ROBERTI COMITIS GLOECSTRÆ, PRO FOEDERE PACIS AGENDO INTER REGEM ET IMPERATRICEM.

§ 37. Eodem anno in Pentecoste (M.ii 26) resedit rex Londoniæ in Turri, episcopo tantummodo Saggiensi præsentate: cæteri vel fastidierunt vel timerunt venire. Aliquanto post, mediantibus legato, colloquium indictum est inter imperatricem et regem, si forte Deo inspirante pax reformari posset. Conventum juxta Bathoniam: misso ex parte imperatricis Roberto fratre, et cæteris suis; ex parte regis, legato et archiepiscopo, simul et regina. Sed inaniter (64), inaniter inquam, triverunt et verba et tempora, infectaque pace discessum. 735 Nec fuit ambarum partium æquum dissidium; dum imperatrix, ad bonum pronior, ecclesiasticum non se vereri judicium mandasset; et regii illud quam maxime nollent, dum dominari ad utilitates suas valerent (65). Proximo (66) Septembri legatus, qui nosset officii sui potissimum interesse ut pax conveniret, pro ea restituenda laborem itineris transmarini aggressus, in Galliam navigare maturavit. Ibi a rege Franciæ et comite Thetbaldo, multisque religiosi ordinis personis, magno et sollicito tractatu de pace Angliæ habito, reversus est in fine pene (67) Novembris; salubria patriæ mandata referens, si esset qui verba factis apponeret. Et plane imperatrix et comes confestim consensere (68); rex vero de die in diem producere, postremo in summa frustrari. Tam demum legatus se intra se continuit, rerum exitum, ut cæteri, speculaturus: quid enim attinet contra torrentem brachia tendere? cur, laboribus nonnisi odium quærere, extremæ sit (ut quidam ait) dementiæ.

(55) *Erat enim Quadragesima. e., omissum in s. d. 12.*

(56) *Primo d., primum, s. l 2, omissum in e.*

(57) *Sine dispendio. e., omissum in s. d. 12.*

(58) *Præfatus barbarus Robertus filius Huberti, e.; Robertus quidam, filius Huberti, inmanis ac barbarus, et, s. d. 12.*

(59) *Quater viginti. d. e. l 2, viginti quatuor, s.*

(60) *Etiam e 1, jam. e 2, et, s. d. 12.*

(61) *Sub divo. s. d. 12, sub aere, e 2, sub divo vel sub aere, e 1*

(62) *Joannem filium Gildeberti. e., Joannem quendam, s. d. 12.*

(63) *Patibulo appensus et exanimatus est. e., morte latronum suspensus est, s. d. 12.*

(64) *Inaniter. d. e. l 2, omissum in s.*

(65) *Et regii... valerent. e., et rex illud quam maxime caveret, consiliis illorum male credulus, qui nihil minus quam pacem vellent, dum ei dominari ad utilitates suas valerent, s. d. 12.*

(66) *Proximo. e., Postremo, s. d. l 2.*

(67) *Pene. s. d. e 2, l 2, omissum in e 1.*

(68) *Consensere. e 1., assensere, s. d. e 2, l 2.*

(69) PROLOGUS IN LIBRUM TERTIUM

Anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quadragesimo primo (70) inextricabilem labyrinthum rerum et negotiorum quæ acciderunt in Anglia, aggredior evolvere; ea causa, ne per nostram incuriam lateat posteros, cum sit operæ pretium, cognoscere volubilitatem fortunæ, statusque humani (71) mutabilitatem, Deo duntaxat permittente

vel jubente. Itaque quia moderni non mediocriter et merito reprehendunt prædecessores nostros, qui nec sui nec suorum post Bedam ullam (72) reliquerunt memoriam, ego, quia nobis hanc proposui summovere infaniam, debeo apud lectores bonam, si recte judicabunt, pacisci gratiam (73).

LIBER TERTIUS.

QUOMODO REX VENERIT AD OBSIDIONEM LINDCOLINAM.

§ 38. Rex Stephanus, ante Natale (A. D. 1140, 25 Dec.), a Lindocolina provincia pacifice abscesserat, comitemque Cestrensem et ejus fratrem honoribus auxerat (75). Is comes filiam comitis Glocestrensis jamdudum; tempore regis Henrici duxerat. Burgenses (74) interim Lindocolinæ civitatis, qui vellent apud regem grandem locare amicitiam, eum Londoniæ manentem per nuncios certiozem faciunt ambos fratres in castello ejusdem urbis securos resedisse: eos, nihil minus quam regis adventum opinantes, levi negotio posse circumveniri; se daturos operam ut quam occultissime rex castello poliatur. Ille, qui nullam occasionem ampliandæ potestatis omittere vellet, lætus eo contendit: ita fratres circumventi et obsessi sunt in ipsis Natalis Dominici feriis. **736-740** Iniquum id visum multis, quia (sicut dixi) nulla suspitione rancoris ab eis ante festum abscesserat, nec modo more majorum amicitiam suam eis interdixerat, quod Diffidiare dicunt. Porro comes Cestrensis, quævis ancipiti periculo involutus, probe tamen castelli angustias evasit: non defuncto qua versutia; sive consensu aliquorum obsidentium; sive, quia virtus deprehensa solet multis modis quærere, et plerumque invenire consilium. Itaque non contentus sua solum liberatione, de salute fratris et uxoris, quos in castello reliquerat, sollicitus,

B animum partes versabat in omnes. Sanior sententiæ visa flagitare a socero auxilium, quamvis animos ejus jamdudum nonnullis ex causis offendisset, maxime quia in neutro latere fides videretur esse. Misit ergo perpetuam per nuncios pactus fidelitatem imperatrici, si, respectu pietatis magis quam ullius sui meriti, periclitantes, qui in ipsius captivis faucibus tenebantur, eximeret injuriæ.

QUOMODO COMES GLOCESTRÆ ROBERTUS IERIT AD SUCCURRENDUM OBSESSIS.

§ 39. Non habuit comes Glocestræ difficiles aures, indignitatem rei non ferens; simul etiam pertæsus moræ, quia præclarissima patria causa duorum hominum intestinis rapinis et cædibus vexabatur, maluit (si Deus permisisset) rem in extremos deducere casus. Sperabat etiam divinum in incepto favorem, quia rex generum suum nullis ejus culpis injuriaverat, filiam obsidebat, ecclesiam beatæ Dei genitricis de Lindocolina incastellaverat. Hæc quanti apud mentem principis esse debebant? Nonne præstaret mori et gloriose occumbere, quam tam insignem contumeliam pati? Ulciscendi ergo causa Deum et sororem, simulque necessitudines suas liberandi, **741** dedit se discrimini. Comitatus eum impigre suæ fautores partis, quorum erat major exhæredatorum numerus, quos in martem accendebat rerum amissarum dolor et conscia virtus:

(69) Prologus. e. l. 2. libro secundo post § 37 finem ponunt, sed l. 2. librum tertium incipit a capite quod e. prologum. vocat. s. et mss. nonnulli librum secundum ad operis finem ducunt.

(70) Millesimo centesimo quadragesimo primo. e. l.; millesimo centesimo quadragesimo secundo, s. d. e. 2. 12.

(71) Humanæ. e., omissum in s. d. l. 2.

(72) Ullam. s. d. e. 2, l. 2, omissum in e. l.

(73) Gratiam. s. d. e. l, l. 2, gloriam, e. 2.

(75) Auxerat. Ranulphus, comes Cestrensis, ejusque frater uterinus Guillelmus de Romano, filii erant Lucie, comitiæ Lincolniensis

(74) Burgenses. e., Cives s. d. l. 2.

quanvis toto itinere, quod protenditur a Gloecestria in Lindocolinum, ipse callide intentionem dissimularet, quibusdam ambagibus totum exercitum præter paucissimos suspendens.

DE PUGNA COMITIS GLOECESTRÆ ET CAPTIONE REGIS.

§ 40. Ventum ad supremum ipso die Purificationis beatissimæ Mariæ (A. D. 1141. 2 Feb.), ad flumen quod inter duos exercitus præterfluebat, Trenta nomine, quod et ortu suo, et pluviarum profluvio, tam magnam fuerat ut nullatenus vado transitum præberet. Tum demum et genero, qui cum manu valida occurrerat et cæteris quos ductaverat, detegens animum, hoc sibi propositum jam dudum esse adfectit, quod nulla unquam necessitate terga verteret; vel moriendum vel capiendum esse, si non vicisset. Cunctis igitur bona spe ipsum implentibus (mirabile auditu), illico belli discrimen luiturus, prædicti rapacitatem fluminis cum omnibus suis nando transgressus est. Tantius erat comiti ardor linem malis (75) imponere, ut mallet ultima experiri quam regni calamitatem ulterius protendi: nam et rex cum comitibus quamplurimis, et non inertis militum copia, bello se animose, intermissa obsidione, obtulerat. Tentavere primo regii proliudium pugnae facere, quod Justam vocant, quia tali periti erant arte: at ubi viderunt quod consulares, ut ita dictum sit, non lanceis eminus, sed gladiis cominus rem gererent, et infestis viribus vexillisque aciem regalem perrumperent, 742 fuga sibi omnes ad unum comites consulere; sex enim cum rege comites bellum inierunt; plures barones (76), prædicandæ fidei et fortitudinis, qui regem nec in hac necessitate deserendum ducerent, capti. Rex ipse, quamvis ad se defensandum non ei defuisset animus, tandem a militibus comitis Gloecestriae circumquaque aggressus, ictu lapidis cujusdam, terræ procubuit; a quo autem id factum fuerit, ignoratur. Ita omnibus circa se vel captis vel fugatis, cedendum pro tempore, et teneri sustinuit. Prædicandus itaque comes Gloecestriae præcepit regem vivum et illæsum conservari (77), non passus etiam ullo exprobrationis convicio illum irretiri (78): et quem iratus modo impugnabat regno fastigiatum, placidus, ecce! protegit triumphatum; ut, compositis iræ et lætitiæ motibus, et consanguinitati impenderet humanitatem, et in captivo diadematis respuerit dignitatem. Vulgus vero burgensium Lindocolinorum (79) multa parte obruncatum est, justa ira illorum qui vicissent, nullo dolore illorum qui victi essent, quod ipsi principium et fomes istius mali fuissent.

QUOMODO REX IMPERATRICI PRÆSENTATUR.

§ 41. Rex vero (80), juxta morem illius generis

(75) *Malis*. s. d. 12, omissum in e.

(76) *Sex enim cum rege comites bellum inierunt; plures barones*. e., *pauci barones*, s. d. 12.

(77) *Conservari*. e., *asservari*, s. d., *reservari*, 12.

(78) *Irretiri*. e 1., *irritari*, e 2., *proscindi*, s. d. 12.

(79) *Vulgus vero burgensium Lindocolinorum*. e.,

A hominum quos captivos nominant, imperatrici a fratre præsentatus Gloecestriae: post etiam ad Bristou ductus, et ibi honorifice præter progrediendi facultatem servatus est primo. Succedenti enim (81) tempore, propter insolentiam quorundam 743 palam et probrose dictantium non expedire comiti ut regem secus ac ipsi vellent serraret, simul et quia ipse ferebatur plus quam semel, vel elusis vel delinitis custodibus, extra statutam custodiam noctu præsertim inventus, annulis ferreis innodatus est.

QUOMODO IMPERATRIX, INDUSTRIA COMITIS GLOECESTRÆ, A LEGATO ET QUIBUSDAM EPISCOPIS ET PRIMATIBUS WINTONIAE RECEPITA SIT.

§ 42. Interim et imperatrix et comes apud legatum B fratrem ejus nunciis egerunt, ut ipsam, tanquam regis Henrici filiam, et cui omnis Anglia et Normannia jurata esset, incunctanter in ecclesiam et regnum reciperet. Quarto decimo kalendas Martii (Feb. 16) eo anno prima Dominica Quadragesimæ fuit. Ita, *mediantibus* utrobique nullis ad hoc res expedita, ut ad colloquium in patenti planitie camporum citra Wintoniam conveniretur. Ventum ergo Dominica tertia Quadragesimæ (Mart. 2), pluvioso et nebuloso die, quasi mæstam causæ vicissitudinem fata portenderent. Juravit et affidavit imperatrix episcopo, quod omnia majora negotia in Anglia, præcipueque donationes episcopatum et abbatiarum, ejus nutum spectareat, si eam ipse in (82) sancta ecclesia in dominam reciperet, et perpetuam ei fidelitatem teneret. Idem juraverunt cum ea, et affidaverunt pro ea, Robertus frater ejus comes de Gloecestria, et Brianus filius comitis marchio de Wallingford, et Milo de Gloecestria, postea comes de Hereford, et nonnulli alii. Nec dubitavit episcopus imperatricem in dominam Angliæ recipere, et ei cum quibusdam suis affidare, quod, quandiu ipsa pactum non infringeret, ipse quoque fidem ei custodiret. 744 Crastino, quod fuit quinto nonas Martii (Mart. 3), honorifica facta processione recepta est in ecclesia episcopatus Wintoniæ; episcopo, eodemque legato, eam decente in dextro latere, Bernardo vero de sancto David episcopo in sinistro. Adfuerunt præterea episcopi, Alexander de Lindocolino, Robertus de Herefordo, Nigellus de Heli, Robertus de Bathonis: abbates etiam, Ingulfus de Abbenduna, Edwardus de Radinges, Petrus de Malmesburia, Gilebertus de Gloecestria, Rogerius de Theokesburia, et nonnulli alii. Paucis post diebus Thetbaldus Cantuariensis archiepiscopus venit ad imperatricem apud Wintoniam (83) invitatus a legato: distulit sane fidelitatem dominæ facere; inconsulto rege alias divertere, famæ personæque suæ indignum arbitratus.

Vulgus vero civium Lindocolinorum, s. d. 12.

(80) *Vero*. e. 12., omissum in s. d.

(81) *Enim*. e., *vero*, s. d. 12.

(82) *In*. s. d., *cum*, e. 12.

(83) *Wintoniam*. e., *mas*. nonnulli legunt *Wintoniam*, male.

Itaque et ipse et plerique præsules, cum aliquantisper laicis, permitti ad regem ire et colloqui, dignanterque impetrata venia ut in necessitate temporis transirent, in sententiam legati concessere (84). Pascha, quod tunc fuit tertio kalendas Aprilis (Mart. 30), imperatrix apud Oxenefordum egit; a cæteris in sua discussum.

QUOMODO SOLEMNI CONCILIO IMPERATRICEM IN DOMINAM ANGLIÆ CONFIRMAVERINT.

§ 45. Feria secunda post octavas Paschæ (April. 7), concilium archiepiscopi Cantuariæ Theobaldi, et omnium episcoporum Angliæ, multorumque abbatum, legato præsidente, Wintoniæ ingenti apparatu inceptum. Si qui defuerunt, legati et literis causas eorum non venissent dederunt. (85) Cujus concilii actioni, quia interfui, integram rerum veritatem poteris non negabo. Egrege quippe memini, ipsa die, post recitata scripta excusatoria quibus absentiam suam quidam tutati sunt, revocavit in partem legatus episcopos, habuitque cum eis arcanum consilii sui; post (86) mox abbates, postremo archidiaconi convocati. Ex consilio nihil processit in publicum; volutabatur tamen per omnium mentes et ora quid foret agendum.

QUOMODO LEGATUS DEBITAM ET LEGITIMAM SUCCESSIONEM IMPERATRICIS IN REGNUM COMMENDAVERIT.

§ 44. Feria tertia (April. 8) hoc fere sensu legati occurrit oratio: « Dignatione papæ se vices ejus in Anglia tenere; ideoque per ejus auctoritatem clerum Angliæ ad hoc concilium congregatum, ut de pace patriæ, quæ grandi periculo naufragabatur, consuleretur in medium. Tempore regis Henrici avunculi sui singulare domicilium pacis in Anglia fuisse; ita ut, per vivacitatem, animositatem, industriam ejusdem præcellentissimi viri, non solum indigenæ, cujuscunque potentia vel dignitatis essent, nihil turbare auderent, sed etiam ejus exempto finitimi quicunque reges et principes in otium et ipsi concederent, et subjectos vel invitarent vel compellerent (87). Qui videlicet rex, nonnullis ante obitum annis, filia suæ quondam imperatrici (quæ sola sibi proles ex desponsata quondam conjugis supererat) omne regnum Angliæ, simul et ducatum Northmanniæ, jurari ab omnibus episcopis simulque baronibus fecerit, si successore masculino ex illa, quam ex Lotharingis duxerat, uxore careret. Et invidit (inquit) atrox fortuna præcellentissimo avunculo meo, ut sine masculino hærede in Northmannia decederet. Itaque quia longum videbatur dominam exspectare, quæ moras ad veniendum in Angliam nectebat (in Normannia quippe residebat), provisum est paci patriæ, et regnare permissum

A frater meus. Enimvero, quamvis ego vadem me apposuerim inter eum et Deum quod sanctam Ecclesiam honoraret et exaltaret, et bonas leges manu teneret, malas vero abrogaret; piget meminisse, pudet narrare, qualem se in regno exhibuerit: quomodo in præsumptos nulla justitia exercita (88), quomodo pax omnis statim ipso pene anno abolita; episcopi capti, et ad redditionem possessionum suarum coacti; abbatia venditæ, ecclesiæ thesauris depilatæ; consilia pravorum aulita, honorum vel suspensa vel omnino contempta. Scitis quotiens eum tum per me tum per episcopos, convenerim, concilio præsertim anno prædicto (89) ad hoc indicto, et nihil nisi odium acquisierim. Nec illud quemquam, qui recto pensare velit, latet, debere me fratrem meum mortalem diligere, sed causam Patris immortalis multo pluris facere. Itaque quia Deus judicium suum de fratre meo exercuit, ut eum, me nesciente, in potestatem potentium incidere permetteret; ne regnum vacillet, si regnante careat, omnes vos pro jure legationis meæ huc convenire invitavi. Ventilata est hesterno die causa secreto coram majori parte cleri Angliæ, ad cuius jus (90) potissimum spectat principem eligere, simulque ordinare. Invocata itaque primo, ut par est, in auxilium Divinitate, filiam pacifici regis, gloriosi regis, divitis regis, boni regis, et nostro tempore incomparabilis, in Angliæ Normanniæque dominam eligimus, et ei fidem et manutentionem promittimus. »

QUOMODO LONDONIENSES IN CONCILIO.

§ 45. Cumque omnes præsentis vel modeste acclamassent sententiæ, vel silentes non contradixissent, subjecit legatus (91): « Londonienses (qui sunt quasi optimates, pro magnitudine civitatis, in Anglia) nunciis nostris convenimus, et conductum ut tuto veniant misimus, eosque confido non ultra hunc diem moraturos: bona venia usque cras sustineamus. »

§ 46. Feria quarta (April. 9) venerunt Londonienses, et, in concilium introducti, causam suam eatenus egerunt ut dicerent missos se a communionem quam vocant Londoniarum, non certamina sed preces offerre (92), ut dominus suus rex de captione liberaretur. Hoc omnes barones, qui in eorum communionem jamdudum recepti fuerant, summo pere flagitare a domino legato et ab archiepiscopo, simulque ab omni clero qui præsens erat. Responsum est eis a legato ubertim et splendide, et, quominus fieret quod rogabant, eadem oratio quæ pridie habita. Adjectum quinetiam, « Non decere ut Londonienses, qui præcipui habebantur in Anglia sicut proceres, illorum partes foverent qui domi-

(84) Concessere. e1., cessere, s. d. e2. 12.

(85) Cujus concilii. e2. ab his verbis usque ad legationi sua impedimenta § 70 claudicat.

(86) Post. e., omissum in s. d. 12.

(87) Compellerent. e., impellerent, s. d. 12.

(88) Exercita. e., exercitata, s. d. 12.

(89) Prædicto. e., præterito, s. d. 12.

(90) Jus. s. d. omissum in e. et examen legitus in margine.

(91) Legatus. e., omissum in s. d. 12.

(92) Offerre c., afferre, s. d. 12.

nom suum in bello reliquerant, quorum consilio A (ut fertur) dominam ejusque comites appetiverunt. Idem sanctam ecclesiam exhonoraverat, qui postremo non ob aliud ipsis Londoniensibus favere videbantur nisi ut eos pecuniis emungerent. »

748 DE CLERICO REGINÆ.

§ 47. Interea surrexit quidam, cujus nomen, si bene meminil, Christianus, reginæ (ut audivi) clericus, porrexitque chartam legato, qua ille sub silentio lecta, voce quantum potuit exaltata dixit non esse legitimam neque (93) deberet in tanto, præsertimque sublimium et religiosarum personarum, conventu recitari. Præter cætera enim quæ reprehensibilia et notabilia erant scripta, testem appositum qui præterito anno, in eodem quo tunc sedebant capitulo, venerabiles episcopos maxima verborum affecerit contumelia. Ita, illo tricante, clericus legationi suæ non deficit, sed præclara fiducia litteras legit in audientia, quarum hæc erat summa: « Rogabat regina obnixè omnem clerum congregatum, et nuncupatim episcopum Wintoniæ fratrem domini sui, ut eundem dominum regno restituerent, quem iniqui viri, qui etiam homines sui essent, in vincula conjecissent. » Huic suggestioni retulit legatus verba in eandem sententiam qua et Londoniensibus. Illi, communicato consilio, dixerunt se decretum concilii convicaneis suis relatu-ros, et favorem suum quantum possent præstituros. Feria quinta (April. 10) solutum est concilium, excommunicatis ante multis qui regiarum erant partium; nominatim Willelmo Martello, qui quondam pincerna regis Henrici, tunc dapifer Stephani. Iste immaniter exulceraverat legati animum, multis rebus ejus interceptis et subreptis.

QUOMODO IMPERATRIX A LONDONIENSIBUS RECEPTA SIT.

§ 48. Itaque multæ fuit molis Londoniensium animos permulcere posse, ut, cum hæc statim 749 post Pascha (ut dixi) fuerint actitata, vix paucis ante Nativitatem beati Joannis diebus imperatricem reciperent. Pleraque tunc pars Angliæ dominatum ejus suspiciebat (94), frater ejus Robertus assiduus circa eam omnibus quibus decebat modis ejus gloriam exaltare, proceres benigno appellando, multa pollicendo, diversas partes vel terrendo, vel etiam per internuntios ad pacem sollicitando, jam jamque in omnibus partibus imperatrici faventibus justitiam, et patrias leges, et pacem reformando. Satisque constat quod, si ejus moderationi et sapientiæ a suis esset creditum, non tam sinistram postea sensissent alexæ casum. Aderat et dominus legatus sedula, ut videbatur, fide imperatricis commodis præsto. Sed ecce, dum ipsa putaretur omni Anglia statim posse potiri, mutata omnia. Londonienses, semper suspecti, et intra se frementes, tunc in aperti odii vocem eruperunt; insidiis etiam

(ut fertur) dominam ejusque comites appetiverunt. Quibus illi præcognitis et vitatis, sensim sine tumultu quadam militari disciplina urbe ceaserunt. Comitatu supt imperatricem legatus, et rex Scotiz David avunculus ejusdem viraginis, et frater ejus Robertus, in omnibus ut semper, sic et tunc, fortunarum sororis socius, et (ut de compendio dicam) partium ejus omnes ad unum incolumes. Londonienses, cognito eorum abscessu, in hospitia invallant, quidquid rerum pro festinatione relictum erat abradentes.

DE DISCORDIA IMPERATRICES ET LEGATI.

§ 49. Nec multis post diebus surrexit simul inter legatum et imperatricem, quem casum vere 750 possum dicere fomitem omnium malorum rursum in Anglia fuisse: quod quatinus (95) acciderit, expeditam. Habebat rex Stephanus, Eustachium nomine, ex filia Eustachii comitis Bononiensis, susceptum filium. Rex enim Henricus, pater imperatricis (ut alius repetam, ne veritas gestorum lateat posteros), sororem uxoris suæ, matris istius dominæ, Mariam nomine, nuptum dederat prædicto comiti, quod esset is et amplis majoribus ortus, simulque prudentia et fortitudine juxta insignis. Ex Maria Eustachius nihil liberorum tulit præter filiam Matildem vocabulo. Hanc, patre defuncto, nubilem idem magnificentissimus rex Stephano nepoti legitimo matrimonio copulavit, et pariter Bononiensem comitatum industrie acquisivit; nam antea Moritoliensem in Normannia ex suo dederat. Hos comitatus nepoti suo quem nominavi, Eustachio, legatus jure dandos destinaverat dum pater in captione teneretur; imperatrice proress abnuente, incertum an aliis etiam promittente. Qua ille offensus injuria, multis diebus ab ejus abstinit curia, et quamvis sæpe revocaretur, negare perseveravit. Interea familiare apud Gelledford cum regina, fratris uxore, colloquium habuit, ejusque la-chrymis et satisfactione infractus ad liberationem germani animum intendit; omnes etiam illius partis quos in concilio excommunicaverat, inconsultis episcopis, absolvit. Ferebantur et per Angliam ejus in imperatricem querelæ: quod eum capere vole-rit; quod quidquid ei juraverat pro nihilo habuerit; omnes barones Angliæ fidem suam circa eam im-plese, sed ipsam temerasse, quæ acquisitis uti modeste nesciret.

751 QUOMODO COMES GLOECSTRENSIS LEGATUM CONVENERIT CUM IMPERATRICE ET COADJUTORIBUS SEIS.

§ 50. Ad hos motus, si posset, componendes comes Gloecstreus non adeo denso comitatu Wintoniam contendit; sed re infecta ad Oxeneford rediit, ubi soror stativa mansione jamdudum se

(93) Neque. e., ne quæ, s. d. 12.

(94) Dominatum ejus suscipiebat. e l., dignanter dominatum ejus suscipiebat, s. d., dignanter domi-

natum ejus suscipiebat, 12.

(95) Quatinus. e., qualiter, s. d. 12.

continuerat. Ipsa itaque, et ex his quæ continue audiebat et a fratre tunc cognovit, nihil legatum molle ad suas partes cogitare intelligens, Wintoniam cum quanto potuit apparatu venit. Illic intra castellum regium sine cunctatione recepta, bona forsitan mente per nuntios episcopum convenit, ut, quia ipsa præsens erat, non pigritaretur ad eam venire: ille, non integrum sibi fore arbitratus si veniret, ambiguo responso nuncios elusit, hoc tamen (96) verbo, « Ego parabo me; » statimque propter omnes misit quos regi fautores (97) sciebat. Venerunt ergo fere omnes comites Angliæ; erant enim juvenes et leves, et qui mallent equitationum discursus quam pacem. Præterea plures illorum, confusi quia regem bellantem, ut superius dictum est, deseruerant, conventu illo fugæ suæ opprobrium lenire conabantur. Pauci vero cum imperatrice venerant (98): rex Scotiæ David, Robertus comes Glocestræ, Milo de Hereford et barones pauci; Reinulfus enim (99) comes Cestriæ tarde et inutiliter advenit. Ut ergo magnam seriem rerum brevi verborum compendio explicem, a regina et comitibus qui venerant, undique foras muros Wintoniæ observatæ sunt viæ, ne victualia imperatricis **752** fidelibus inferrentur; Audevera etiam vicus incensus. Ab occidente itaque raro et anguste importabantur necessaria, viatoribus nonnullis interceptis vel occisis, vel parte membrorum mutilatis: ab oriente vero toto tramite versus Londoniam constipabantur semitæ multitudine commeatum, episcopo et suis importandorum; Gaufrido de Mandevilla (100), qui jam iterum auxilio eorum cesserat, antea enim post captionem regis imperatrici fidelitatem juraverat, et Londoniensibus maxime annitentibus, nihilque omnino quod possent prætermittentibus quo imperatricem contristarent. Wintonienses porro vel tacito ei favebant iudicio, memores fidei quam ei pacti fuerant cum inviti propemodum ab episcopo ad hoc adacti essent. Interea ex turre pontificis jaculatum incendium in domos burgensium (qui, ut dixi, proniores erant imperatricis felicitati quam episcopi) comprehendit et combussit abbatiam totam sanctimonialium intra urbem, simulque cœnobium (1) quod dicitur Ad Hidam extra. Erat ibi imago crucifixi Domini magna mole auri et argenti, simulque gemmarum, dono (2) Cnutonis quondam regis operosa devotione fabricata: hæc, igne tunc comprehensa et solo prostrata, post etiam jubente legato ex crustata est. Inventæ plusquam quingentæ argenti marcæ, auri triginta, donativo militum profecere. Combusta est

etiam abbatia sanctimonialium de Warewella a quodam Willhelmo de Ipra, homine nefando, qui nec Deo, nec hominibus reverentiam observaret, quod in ea quidem imperatricis fautores se contulati essent.

753 DE DISCESSU COMITIS GLOCESTRÆ A WINTONIA ET CAPTIONE SUA.

§ 51. Comes Glocestræ (3) interea, quamvis quotidiano regiorum prælio cum suis affligeretur, minusque quam cogitaret res ex sententia cederet, semper tamen ab incendio ecclesiarum temperandum putavit, quamvis in vicino sancti Swithuni hospitatus esset. Veruntamen indignitatem rei ultra non ferens, se suosque pene obsideri, et fortunam in alteros declinare, cedendum tempori ratus, compositis ordinibus discessionem paravit. Itaque in primo agmine ut libere abiret sororem præmittens cum reliquis, ipse cum paucis qui auderent animis multos non timere, lente progrediebatur. Quapropter comitibus regis (4) confestim insecutis, dum et ipse fugere pudori et citra dignitatem suam æstimat, et solus ab omnibus præcipue impetitur, captus est. Cæteri cœptum iter, proceres præsertim, continuare, summaque cum festinatione Divisas pervenerunt. Sic a Wintonia die sanctæ Crucis Exaltationis (Sept. 14), quæ tunc habebatur in Dominica, discessum; cum illuc paucis ante Assumptionem beatæ Dei Genitricis (5) diebus ventum fuisset. Nonnullique miraculi exemplum et multorum materia sermonum fuit in Anglia, quod sicut rex Dominica in dominæ nostræ Purificatione, ita comes Dominica in vivificæ Crucis Exaltatione (6), unam eandemque sortem experti sunt. Illud vero percelebre magnificumque fuit, quod pro isto eventu nemo comitem Glocestræ vel infractum mente, vel etiam **754** tristem vultu, viderit; ita conscientiam altæ nobilitatis spirabat, ne se fortunæ ludibrio subiceret. Quamvis enim primo blanditiis invitatus, post etiam minis lacesseretur, nunquam tamen inflexus est ut de liberatione sua præter consensum (7) sororis tractaretur. Ad ultimum eo modo res ventilata, ut æquis conditionibus et rex et ipse absolverentur; nullo pacto alio interveniente, nisi ut quisque partes suas pro posse, sicut et prius (8), tutaretur. Hæc ab Exaltatione sanctæ Crucis usque ad festum Omnium Sanctorum plurimo verborum agmine sæpe versata, tunc demum debito fine conclusa; ea enim die rex eluctatus captionem. In eadem apud Bristou reginam suam et filium cum duobus magnatibus reliquit, vades liberandi comitis continuo cum festinato itinere

(96) *Tamen. e., tantum, s. d. 12.*

(97) *Fautores. e., fautores, s. d. 12.*

(98) *Venerant. e., 12., convenerant, s. d.*

(99) *Enim. s. d., omissum in e. 12.*

(100) *Gaufrido de Mandevilla... juraverat. e., omissum in s. c. d. k. 12.*

(1) *Cœnobium. e., cœnobium monachorum, s. d. 12.*

(2) *Dono. s. e. 12., ex dono, d.*

(3) *Glocestræ. e., omissum in s. d. 12.*

(4) *Regis. e., omissum in s. d. 12.*

(5) *Genitricis. s. e. 12., genitricis Mariæ d.*

(6) *Ita comes Dominica in vivificæ Crucis Exaltatione. s. d. 12., omissum in e.*

(7) *Consensum. e., conscientiam, s. d. 12.*

(8) *Et prius. c., prius, s. 12., superius, d.*

rex Wintoniam venisset; ibi enim asservabatur comes, reductus a Rovecestra, quo prius abductus fuerat. Tertio die, mox ut rex Wintoniam venit, comes abscessit; dimisso ibi, quousque regina absolveretur, in eodem (9) obsidatu filio suo Willelmo. Celeriter igitur permensa via, Bristou veniens reginam absolvit; cuius reditu Willelmus filius comitis ab obsidatu liberatur. Satis autem constat, toto tempore captivis, sequentibusque mensibus usque ad Natale, multis et magnis pollicitationibus sollicitatum ut a sorore descisceret, pluris semper pietatem germanitatis quam quaslibet (10) promissiones fecisse: nam et relictis rebus castellisque suis, quibus commode frui posset, circa germanam sedulo apud Oxeneford mansitabat; quo loco, ut præfatus sum, illa sedem sibi constituens, curiam fecerat.

755 DE CONCILIO QUO LEGATUS TENTAVIT LENIRE CAUSAM RECEPTIONIS IMPERATRICES IN DOMINAM.

§ 52. Interea legatus, immodici animi pontifex, qui quod semel proposuisset non ineffectum relinquere vellet, concilium pro jure legationis suæ apud Westmonasterium die octavarum sancti Andree (Dec. 7) coegit. Ejus concilii actionem non ita exacta fide pronuntio ut superioris, quia non interfui. Auditum est lætas in eo litteras domini apostolici, quibus modeste legatum argueret quod liberare fratrem suum dissimulasset. Delicti tamen superioris gratiam facere; et magnopere cohortari, ut quocumque modo, vel ecclesiastico vel seculari, posset, ad germani liberationem accingeretur. Regem ipsum in concilium introisse, et apud sanctum conventum querimoniam deposuisse, quod homines sui et eum ceperint, et afflictione contumeliarum paulo minus extinxerint, qui justitiam eis nunquam negasset. Ipsum legatum magnis eloquentiæ viribus factorum suorum invidiam tentasse alleviare: Quod scilicet imperatricem non voluntate sed necessitate recepisset, quippe cum recenti adhuc fratris sui clade (omnibus comitibus vel fugatis, vel eventum rei suspecta mente præstolantibus), ipsa cum suis muros Wintoniæ circumsonasset, ipsam quæcunque pepigerat ad ecclesiarum jus pertinentia obstinate fregisse. Quin etiam certis auctoribus ad se delatum eam et suos non solum dignitati suæ, sed et vitæ, struxisse insidias: cæterum, Deum pro sua clementia secus quam ipsa sperasset vertisse negotia, ut et ipse perniciem vitaret, et fratrem suum vinculis eximeret. Itaque jubere se de parte Dei et apostolici, ut regem, voluntate populi et assensu sedis apostolicæ inunctum, quantis **756** possent viribus enixe juvarent; turbatores

A vero pacis, qui comitissæ Andegavensi faverent, ad excommunicationem vocandos, præter eam quæ Andegavorum domina esset. »

QUOMODO QUIDAM FAUTOR IMPERATRICES LOCUTUS FUIT PRO IMPERATRICE.

§ 53. Hæc ejus verba non dico quod omnes (11) gratis animis exceperint, certe nullus expugnavit; omnes clerici vel metu vel reverentia (12) frænarunt ora. Unus fuit laicus, imperatricis nuncius, qui palam legato interdixit, ne per fidem quam ei pactus fuerat, quidquam in illo concilio statueret quod ejus honori adversum foret: fidem ab eo hanc (13) imperatrici factam, ne fratrem suum ullo auxilio juvaret (14), nisi forte viginti ei (15) milites, nec plures, mitteret. Quod in Angliam ipsa venisset, frequentibus epistolis ejus factum: quod regem cepisset, quod in captione tenuisset, ipso potissimum connivente actum. Dixit (16) hæc et alia pleraque magna verborum austeritate, nihil omnino legato blanditus; nec vero ullo sermonum pondere ille moveri potuit ut iram proderet, semel incepti (ut prius dixi) sui non segnis executor. Fuit ergo hic annus (cujus tragædias compendio digessi) fatalis et pene perniciosus Angliæ; in quo, cum aliquo modo sibi ad libertatem respirandam putasset, rursus in ærumnam recidit, et nisi Dei misericordia mature occurrat, diu hærebit.

757 RECAPITULATIO DE COMITE GLOECSTRÆ.

§ 54. Principia gestorum hujus anni, qui est incarnationis Dominicæ millesimus centesimus quadragesimus tertius, ex reliquis superioris anni successit animo resarcire, simulque summam rerum quæ de Roberto filio regis Henrici comite Gloecstræ sparsim dicta sunt, quasi in fasciculum collectam, lectoris æstimationi per recapitulationem proponere. Ipse quippe sicut primus ad partes sororis suæ juste defendendas initium suscepit, ita semper invicto animo in incepto gratis perseveravit: gratis dico, quia nonnulli fautorum ejus, vel fortunam sequentes, cum ejus volubilitate mutantur, vel, multa jam emolumenta consecuti, spe ampliorum præmiorum pro justitia pugnant. Solus vel pene solus Robertus, in neutram partem pronior, nec spe compendii, nec dispendii timore, unquam flexus est, sicut ex sequentibus liquebit. Non ergo alicui, si hæc integre scribo, adulationis surrepat suspicio; nihil enim a me dabitur gratiæ, sed sola veritas historiæ sine ullo fuce mendacii posterorum produceretur notitiæ.

§ 55. Dictum est de comite quo modo prius omnium (17) post David regem Scotiæ, præsentia patre Henrico, fidelitatem sorori suæ imperatrici

(9) Eodem. e. l 2., eodem die, s. d.

(10) Quam quaslibet. s. e. l 2., quas qua. toet, u.

(11) Omnes. e., omnes clerici, s. d. l 2.

(12) Omnes clerici vel metu vel reverentia. e., omnes metu vel reverentia, d., omnes vel metu vel reverentia, s. l 2.

(13) Hanc. s. d. l 2., omissum in e.

(14) Juvaret. s. e. l 2., ajuvaret, d.

(15) Ei. s. d. l 2., omissum in e.

(16) Dixit. e., Dixit nuncius, s. d. l 2.

(17) Omnium. e., omnium primatum, s. d. l 2.— Malmesburensis tamen antea retulit Stephanum ante Robertum Mathildæ fidem juravisse.

de regno Angliæ et ducatu Normanniæ sacramento firmavit : nonnulla (ut dixi) contentione inter eum et Stephanum tunc Bononiæ comitem, postmodum Angliæ regem, quisnam prior sacramentum faceret; Roberto excellentiam filii, Stephano dignitatem nepotis, defendentibus.

§ 56. Dictum est etiam quam rationabiles eum **758** causæ a Decembri, quo pater defunctus est, usque post sequens Pascha, in Normannia continuerint, ne statim in Angliam veniens sororis iniurias vindicaret. Postremo veniens, quam prudenti consilio et qua exceptione ad hominum regis se inclinaverit, et quam juste idem sequenti anno et deinceps abjecerit.

§ 57. Nec est prætermisissus secundus ejus post mortem patris a Normannia in Angliam cum sorore adventus; in quam se, sicut in quamdam sylvam frementium belluarum immersit, Dei quidem gratia et animi confidentia fretus, sed vix centum et quadraginta militibus stipatus. Sed nec illud tacitum, quod in tanto motu bellorum, cum sollicitæ ubique prætenderentur excubiæ, cum solis duodecim militibus impigre ad Bristou venit; sorore interim apud Arundellum fida, ut putabat, custodia commissa. Qua prudentia et tunc sororem suam e mediis hostibus ad se receperit, et, postmodum in omnibus pro posse provexerit; semper circa eam conversatus, ipsius comoda procurans, sua postponens, cum quidam abutentes ejus absentia terras ipsius undique vellicarent. Ad postremum, qua necessitate adductus, ut generum suum, quem rex incluserat, periculo eximeret, bello gravi se dedit regemque cepit. Sed tam felicem eventum captio ejus (18) apud Wintoniam, ut in superioris anni gestis perstrinxi, paulo minus declinavit (19); quanquam ea captione non tam miserandum quam laudandum se ipse per Dei gratiam exhibuerit: cum enim videret regios comites ita obstinatos ad persequendum ut sine suorum detrimento res transigi nequiret, omnes quibus timebat, nominatimque **759** imperatricem, præmisit; quibus prætergressis (20), ut jam tuto possent evadere, ipse sensim equitans, ne similis fugæ profectio putaretur, admisit in se persequentium manus, amicorum liberationem impedimento suo mercatus. Jam vero in ipsa captione nemo eum (ut ante dixi) vel sensit dejectum animo, vel audivit humilem in verbo: adeo supra fortunam eminere videbatur, ut persecutores suos (nolo enim dicere hostes) ad reverentiam sui excitaret. Itaque regina, quæ licet meminisset virum suum ejus jussu fuisse compeditum, nihil ei unquam vinculorum inferri permisit, nec quidquam inhonestum de sua majestate præsumpsit: denique apud Rovecestram (illuc quippe ductus fuit) libere ad ecclesias infra castellum quo libebat

libat; et quibus libebat loquebatur, ipsa dumtaxat regina præsentem: nam post profectionem ejus in turrim sub libera custodia ductus est, adeo præsentem et securo animo ut ab hominibus suis de Cantia accepta pecunia equos non parvi pretii compararet, qui ei post aliquanto tempore et usui et commodo fuere.

DE LIBERATIONE REGIS.

§ 58. Tentavere primo comites, et hi quorum intererat de talibus loqui, si forte regem et se sineret æquis conditionibus liberari. Illoc quamvis Mabilla comitissa præ desiderio viri sui dilecti (21) statim amplexa nunciis acceptis esset, in ejus liberationem conjugali charitate propensior, ille profundiori consilio contradixit, regem et comitem non æqualis ponderis esse asseverans: cæterum, si permitterent omnes qui vel secum vel sui causa capti essent liberari, id se posse pati **760**. Sed noluerunt assentiri comites, et alii qui regalium partium erant; regem quidem liberari cupientes, sed citra suas in pecuniæ amissione jacturas: nam et Gillebertus comes Willelmum de Salesbiria, Willelmus de Ipra Hunfridum de Bohun, et nonnulli alii quos potuerant, Wintoniæ ceperant, multis in eorum redemptione marcis inhiantes.

QUOMODO TENTATUM EST COMITEM GLOECESTRÆ POSSE INFLECTI IN PARTES REGIS.

§ 59. Itaque alia via comitem adorsi, promissis ingentibus, si forte possent, illicere cupiebant. Concederet, sorore dimissa, in partes regis, habiturus proinde totius terræ dominatum, ut ad ipsius arbitrium penderent omnia; essetque in sola corona rege inferior, cæteris omnibus pro velle principaturus. Repulit comes immensas promissiones memorabili responso, quod posteritas audiat et miretur volo: « Non sum, » inquit, « meus, sed alieni juris: cum meæ potestatis me videre, quicquid ratio de re quam allegatis dictaverit, facturum me respondeo »

§ 60. Tum illi concitatores et nonnihil moti, cum blanditiis nihil promoverent, minas intentare cœperunt, quod eum ultra mare in Bononiam mitterent, perpetuis vinculis usque ad mortem innotandum. Enimvero ille, minas sereno vultu dissolvens, nihil minus se timere protestatus est constanter et vere: confidebat enim in magnanimitate comitissæ, uxoris suæ scilicet (22), et animositate suorum, qui statim regem in Hiberniam mitterent, si quid perperam in comitem factum audissent.

§ 61. Transit in his mensis, tantæ molis erat **761** liberari posse principes quos fortuna sua inextingu-

(18) *Ejus*, e., omissum in s. d. 12.

(19) *Delinavit*, e., *decoloravit*, s. d. 12.

(20) *Prætergressis*, e., *prægressis*, s. d. 12.

(21) *Dilecti*, e., omissum in s. d. 12.

(22) *Scilicet*, e., omissum in s. d. 12.

set catena. Tandem porro communicato consilio, A quicumque imperatrici favebant, crebris legationibus comitem conveniunt, ut quia non posset quod vellet, secundum comiti dictum, vellet quod posset: pateretur ergo regem et se liberari mutuis conditionibus; et alioquin timeamus, siebant, ne comites facti sui maximi et præclarissimi, quo te ceperunt, erecti conscientia, unos et unos ex nobis invadant, castella expugnent, ipsam sororem tuam obsidiant (23).»

§ 62. Tum demum Robertus mollitus legato et archiepiscopo assensit; ita tamen, ne quicquam castellorum vel terrarum redderetur quod post regis captionem in jus imperatricis vel quorumque fidelium ejus transierat. Illud sane nullo potuit obtinere modo quatenus sui secum liberarentur; B offensis videlicet aliis, quod tantas eorum promissiones de principatu totius regni, quodam quasi fastu fastidians, repudiaverat. Et quia maxime annitebantur ut, propter regiam dignitatem, primo rex liberaretur, deinceps (24) comes; cum id ille dubitaret concedere, firmaverunt jurejurando legatus et archiepiscopus, quod, si rex post liberationem suam detrectaret comitem liberare, ipsi se in captionem comitis incunctanter injicerent, quocunque ipsi libuisset abducendi.

§ 63. Nec adhuc quievit, sed, præter hæc, quo sibi provideret sagax animus invenit: posset nempe fieri ut rex, malorum, quod saepe fit, præventus consilio, captionem fratris sui et archiepiscopi parvi duceret, C dummodo ipse liber in pluma jaceret. Exegit ergo ab utroque sigillatim brevia et sigilla sua ad apostolicum in hunc sensum; 762 « Sciret dominus apostolicus eos ob regis liberationem et regni pacem hoc se pacto comiti astrinxisse, quod, si eum rex post suam ipsius liberationem liberare dissimularet, ipsi ultro se in captionem ipsius immitterent. Quapropter, si ad hoc infortunium perventum foret, obnixè rogare (quod apostolicæ humanitatis esset sponte facere) ut et eos qui suffraganei ipsius erant, et comitem pariter, ab indebitis nexibus exueret; » et quædam talia.

§ 64. Hæc scripta Robertus ab utrisque pontificibus recepta tuto loco deposuit; et Wintoniam cum eisdem, simulque magna baronum copia, venit. Rex quoque, ut in præteritis dictum est, non multo post eodem veniens, familiare colloquium cum comite communicavit: sed quamvis et ipse rex, et cuncti principes qui aderant, magno annisu saterent comitem in sua vota traducere, ille, velut pelagi rupes immota resistens, omnes eorum conatus vel fritos fecit, vel rationabiliter compepsit: « Non esse rationis, dicens, sed nec hu-

manitatis, ut sororem suam desereret, cujus partes juste defendendas suscepisset: nullius commodi causa, nec tam regis odio quam sacramentum sui respectu, quod violare nefas esse ipsi quoque deberent attendere, præsertim cum ab apostolico sibi mandatum meminisset ut sacramentum quod sorori, præseate patre, fecerat, obedientiam exhiberet. » Ita infecta pace ab utriusque discessum.

§ 65. Hæc ideo sic (25) in superioris anni gestis non apposui, quia clam conscientia mea erant: semper quippe horrori habui aliquid ad posterum transmittendum stylo committere, quod nescirem 763 solida veritate subsistere. Ea porro, quæ de præsentis anno dicenda sunt, hoc habebunt principium.

TRACTATUS UT PRO COMITE ANDEGAVENSE MITTERETUR.

§ 66. Utræque partes, imperatricis et regis, se cum quietis modestia egerunt a Natali usque ad Quadragesimam, magis sua custodire quam aliena incursare studentes: rex in superiores regiones abscessit, nescio quæ compositurus. Superveniens Quadragesima omnibus vacaturam (26) bellorum indixit; qua mediante, imperatrix cum suis ad Divisam venit, illic mysterium consilii cum suis habitura (27): quod tamen eatenus exiit in vulgus, ut sciretur omnibus fautoribus ejus (28) complacitum quatenus pro comite Andegavensi mitteretur, qui conjugis et filiorum hereditatem in Anglia jure defensitare deberet. Missi sunt ergo spectabiles viri, et qui merito tantæ rei curam exsequerentur.

DE INFIRMITATE REGIS.

§ 67. Non multo post, in ipsis Paschalibus (29) feriis, regem, quædam (ut aiunt) dura meditantem, gravis incommodum morbi apud Northamptonam delinuit, adeo ut in tota propemodum Anglia sicut mortuus conclamaretur. Duravit improspera valetudo usque post Pentecosten; tunc enim sensim refusus salutis vigor eum in pedes erexit.

§ 68. Interim nuntii ex Andegavis redeuntes, iterato apud Divisam in ipsis octavis Pentecostes 764 coacto concilio, imperatrici et principibus audita reportant: « Comitem Andegavensem legationibus procerum nonnulla ex parte favere; cæterum, solum ex omnibus comitem Gloerestrensem cognoscere (30), ejusque prudentiam ac fidem, magnanimitatem et industriam, probatam jam olim habuisse. Is si ad se transito mari adveniat, voluntati ejus se pro posse non defuturum; alioquin cæle-

(23) *Obsidiant. e., oppugnent, s. d. 12.*

(24) *Deinceps. e., deinde, s. d. 12.*

(25) *Sic. e., omisum in s. d. 12.*

(26) *Vacaturam. Vacaturam vel cessationem, c., vacationem, s. d. 12.*

(27) *Cum suis habitura. c., sui habitura, d., sui habitum, s. 12.*

(28) *Ejus. c. 12., omisum in s. d.*

(29) *Paschalibus. c., pene Paschalibus, s. d. 12.*

(30) *Cognoscere. c. 12., recognoscere, s. d.*

ros in eundo et redeundo frustra laborem consumpturos.)

QUOMODO COMES GLOCESTRÆ AD COMITEM ANDEGAVENSEM IERIT.

§ 69. Ita omnium audientium spebus erectis, ad comitem preces versæ, ut hunc laborem pro sororis et nepotum hæreditate dignaretur. Dissimulavit ille primo, difficilem rem prætendens: suspectum per confertissimos hostes iter citra et ultra mare; periculosum sorori, quam in absentia ejus alli ægre tuerentur, qui eam in captione sua pene reliquerant, rebus ipsi suis diffisi. Favens tandem omnium unanimi voluntati, obsides poposcit sigillatim ab his qui optimates videbantur, secum in Normanniam ducendos, vadesque futuros tam comiti Andegavensi quam (31) imperatrici, quod omnes junctis umbonibus ab ea, dum ipse abesset, injurias propulsarent, vicibus (32) suis apud Oxeneford manentes. Acclamatum est sententiæ, datique obsides Normanniam ducendi.

QUOMODO COMES ANDEGAVENSIS AUXILIO COMITIS GLOCESTRÆ DECEM CASTELLA IN NORMANNIA CEPERIT.

§ 70. Robertus ergo valesciens sorori, ductis **765** secum obsidibus, cum expeditis militibus per tuta hospitia ad Waram profectus est, quem vicum cum castello jamdudum commiserat filio suo primogenito Willelmo. Ibi aliquanto post festum sancti Johannis alto se per Dei gratiam committens, naves quas tunc habebat solvit. Quæ fere in medium mare delatæ, omnes præter duas tempestate coorta in diversa jactatæ; quædamque retro versæ, quædam ultra destinatum propulsæ sunt: duæ solummodo, in quarum una comes cum fidissimis erat, rectum cursum tenentes, in idoneam stationem appulerunt. Veniens itaque Cadomum, comitem Andegavensem per nuncios accersivit. Venit ille non aspernanter, sed aulicæ legationi sua impedienda, et ea multa, objecit: inter quæ, quod rebellione multorum castellorum in Normannia detineretur quo minus in Angliam veniret. Ea res moras redeundi comiti Glocestrensi ultra placitum innexuit: nam ut Andegavensem omni occasione nudaret, cum eo decem castella expugnavit in Norinannia, quorum (33) hæc sunt vocabula, Tenerchebrai, Sæthilaret, Brichesart, Alani (34) Bastonborg, Trive. es, Castel de Vira, Plaiseiz, Vilers, Moretoin. Sed propemodum nihil quantum ad legationem hac promovit industria; Andegavensis enim comes et alias occasiones, prioribus solutis, substituit, quibus in Angliam adventum excusaret suum. Magni

(31) *Quam. e. 12., quam etiam, s. d.*
 (32) *Vicibus. d. e. 12., viribus, s.*
 (33) *Quorum... Moretoin. e., omissum in s. d. k. 12.*
 (34) *Alani. e. 1., Alnai, e. 2.*
 (35) *Non bene munitum. e., vacuum, s. d. k. 12.*
 (36) *Succensa et deprædata villa. e., succensio et deprædato rico, s. d. 12.*

A sane loco beneficii filium suum ex imperatrice primogenitum avunculo concessit in Angliam deducendum, cujus intuitu proceres justi hæredis partes propugnare animarentur. Henricus vocatur puer, nomen avi referens: utinam felicitatem et potentiam quandoque relaturus.

766 QUOMODO REX CEPIT WARAM, ABSENTE COMITE.

§ 71. Interea rex in Anglia, comitis absentiam aucupatus, subito ad Waram veniens, et non bene munitum (35) propugnatoribus offendens succensa et deprædata villa (36), statim etiam castello potitus est. Nec eo contentus (qui fortunam sibi aspirare videret), tribus diebus ante festum sancti Michaelis inopinato casu Oxeneford civitatem concremavit, et castellum, in quo cum domesticis militibus imperatrix erat, obsedit; ita scilicet offirmato animo, ut nullius spe commodi, nullius timore detrimenti, discedendum pronuntiaret, nisi castello reddito, et imperatrice in ditionem suam redacta. Mox igitur optimates quidem omnes (37) imperatricis, confusi quia a domina sua præter statutum absuerant, eunferis cuneis ad Walengeford convenerunt, eo proposito ut regem bello impeterent si ipse in aperto campo martem experiri vellet (38), sed eum intra civitatem aggredi consilium non fuit, quam ita comes Glocestræ fossatis muniatur, ut inexpugnabilis præter per incendium videretur.

C DE REDITU COMITIS GLOCESTRÆ IN ANGLIAM.

§ 72. His rumoribus in Anglia (39) disseminatis, comes Glocestræ (40) Robertus reditum maturavit. Trecentos itaque milites et aliquanto plures, quorum tamen numerus ad quadringentos non pervenit, navibus quinquaginta duabus imposuit; **767** his duas, quas redeundo in pelago expugnavit, adjunxit. Itaque piæ voluntati Deus per gratiam sui (41) egregie favit, ut nulla e tanto numero navium longius evagaretur; sed omnes, vel pariter junctis lateribus, vel leniter unæ ante alias progressæ, placida sulcarent maria. Nec vero violentia fluctuum navigia impetebat, sed quodam famulatu prosequabatur; sicut aspectus maris solet esse gratissimus, cum placidis allisa lapsibus alludit unda littoribus. In portum ergo Waram delatæ, comitem (42) et omnes socios desideriis suorum felices carinæ restituere.

QUOMODO COMES GLOCESTRÆ REDITU SUO WARAM CEPERIT.

§ 73. Cogitaverat primo ad Hamtunam appellere,

(37) *Mox igitur optimates quidem omnes. e., Mox optimates omnes, s. d. 12.*
 (38) *Vellet. e., voluisset, s. d. l. 2.*
 (39) *Anglia. e., Normannia, s. d. 12.*
 (40) *Glocestræ. e., omissum in s. d. l. 2.*
 (41) *Per gratiam sui. e., per suam gratiam, s. d. 12.*
 (42) *Comitem. e., comites, s. d. 12.*

ut dispendio burgenſium (43) ſimulet domini eorum A injurias ſuas ulciſceretur; ſed flexerunt ejus impetum precibus multis Vituli, qui arciffimarum neceſſitudinum parentes, quos apud Hamunam habebant, ærumnis cæterorum involvi timerent. Genus hominum nauticorum eſt quos Vitulos vocant; qui quia fidi cientes comitis ſunt, preces eorum non negligendas arbitratus, cœpto deſtitit; ſimul et honoratius viſum, ut in locum de quo egreſſus fuerat reverteretur, quod per violentiam amiſerat vi recuperaturus. Statim ergo portu et vico in poteſtatem ſubactis, caſtellum obſedit, quod lectiſſimorum militum quos ibi rex locaverat munitione ſua confirmarat (44) animoſitati, ne dicam contumaciam. At enim paulo poſt milites, machinis comitis labefactati et conſternati, petierunt inducias, 768 ut, ſicut moris eſt illorum hominum, efflagitarent a rege ſuppeticas; die dicta, ſi forte venire negaret, caſtellum redditori. Id, ſpe regem ab obſidione ſororis abducendi, acceptiſſimum comiti fuit, quamvis impatienti deſiderio caſtelli habendi teneretur; qua putamus animi confidentia, ut, nullo ex Anglia fulſus adhuc auxilio, cum trecentis et paulo plus militibus regem intrepidus operiretur, qui mille milites et eo amplius habere ferebatur; multi enim non tam imperatricis odio quam aviditate prædæ ad obſidendum convolaverant.

QUOMODO COMES GLOECESTRÆ CONGREGATO EXERCITU
TENDIT AD LIBERANDAM IMPERATRICEM.

§ 74. Veruntamen, cum relatum eſſet quod ob-

(43) *Burgenſium. e., civium, s. d. 12.*

(44) *Confirmat. e., confirmabat, s. d. 12.*

(45) *Quod... deſciverat. e., armis perdomuit, s. d. k. 12.*

(46) *Adventu. e., domini adventu, s. d. 12.*

(47) *Suis. e., omiſſum in s. d.*

(48) *Præliatum iri. s. d. 12., præliatum iri, e.*

(49) *Suæ. e., omiſſum in s. d. 12.*

(50) *Reverſi.* Liber tertius hic in c. concluditur cæteri mſſ. opus ad finem ſine intermiſſu ducunt.

(51) *Adventantis. e., advenientis, s. d. 12.*

(52) *Sed hæc in volumine ſequenti, Deo volente, latius expedientur. c. 1. c. 2.* Hic primum terminat

ſeſis apud Waram a rege negaretur auxilium, ea ſcilicet obſtinatione qua prædixi caſtellum recepit; eodemque impetu inſulam Portland, quam incastellaverant, ſubegit; nec minus et tertium, cujus nomen Lulleworda, quod Willelmi de Glaſtonia, cujuſdam cubicularii, fuerat, qui nuper a fide imperatricis deſciverat (45). Inde omnes ſutores imperatricis ad Cireceſtram convocavit, jam Ingreſſo adventu (46). Ibi igitur ad domine ſuæ ſuccurrendum omnibus ſuis (47) viribus conſpirati, protectionem ad Oxenefordum meditabantur; inſenſis mentibus cum rege, niſi abſcederet, præliatum iri (48). Enimvero jam progressis plauſibile nuncium allatum eſt, egreſſam imperatricem ab obſeſſo caſtello Oxeneford, et apud 769 Wallengeford tuto manere. Illic ergo divertentes, ejuſdem domine ſuæ (49) conſilio, quia et milites qui ea execute remanſerant, caſtello reddito, indemnes abierant, et ſancti dies quieſcere vel parum admonerant, bello abſtinendum rati. ad ſua quique ſunt (50) reverſi.

§ 75. Modum ſane liberationis imperatricis gratanter apponerem, ſi pro certo compertum haberem. Eſt enim evidens Dei miraculum. Illud ſatis conſtat, quod, metu adventantis (51) comitis, obſeſſeribus plurimis apud Oxeneford, quo quiſque poterat, dilapſis, reliqui laxiores cuſtodias et remiſſiores excubias fecere; magis, ſi ad bellum veniretur, ſaluti ſuæ ſolliciti, quam aliorum exitio inſeſti. (52) Sed hæc in volumine ſequenti, Deo volente, latius expedientur.

videtur paragraphum qua re... accepero, qui in Hlo ms. nunc ſequitur verba exitio inſeſti, partimque raturæ ſuperscriptus eſt manu recentiori; et ſententia ſed... expedientur, poſt accepero ſubjuncta eſt. s. c. d. g. k. 12. legunt. Quare ab oppidanis animadverſa, imperatrix cum ſolis quatuor militibus per poſterulam egreſſa amnem tranſiit. Mox, ut nonnunquam, et ſere ſemper, neceſſitas et remedium excogitat et audaciam ſubminiſtrat, pede Abbanduniam profecta, hinc ad Walingeford equo ſubvecta eſt. Quæ tamen latius perſequi fert animus ſi unquam, dante Deo. ab his qui interfecere veritatem accepero. »